ANTIDOTUM ADVERSUS ECCLESIÆ ROMANÆ DE MERITO propriè dicto EX CONDIGNO VENENUM:

Ex antiquæ Ecclesiæ Catholicæ Testimoniis locupletißimis confectum:

Juxta Ecclesiæ ANGLICANÆ, *&* *Protestantium omnium unanimem sententiam:*

In Gloriam Gratiæ Divinæ, Meritorum CHRISTI, *& ad vera pietatis profectum salutarem.*

Autore R. P. THOMA MORTONO *Episcopo* Dunelmensi.

CANTABRIGIÆ,
Ex Academiæ celeberrimæ Typographeo.
Anno Dom. MDCXXXVII.



UTRIUSQUE ACADEMIÆ

CANTABRIG.

ET

OXONIENSIS

Præclaris Luminibus ac Ornamentis, cæterisque Sacræ Theologiæ Candidatis, & syncerioris literaturæ Studiosis,

Gratiam & Salutem in

CHRISTO JESU.



H* Ἀγάπη συγχαίρει τῇ ἀληθείᾳ] ait Doctor Gentium. Quidni igitur ego ambas vos, florentissimas sorores, *Charitatis osculo* nunc salutem denuo, quas pariter *Veritatis zonâ* cingere ex

* 1 Cor. 13. 6.

animo cupio, & amplexari. Quam autem veritatem profiteamur, omnium intereſt ſcire; eóque magis, quòd Edmundus Campianus, Jeſuiticæ familiæ alumnus primarius, mihi jam obſtrepere videatur, in Præfatione illa ſua ad utramque Academiam data: in qua Eccleſiæ Anglicanæ Doctores omnes, incredibili jactantiâ, ad certamen Theologicum laceſſivit, in hæc verba, * *Equidem occîdi poſſum, ſuperari non poſſum. Iis enim Doctoribus inſiſto, quos ille Spiritus erudiit, qui nec fallitur, nec vincitur.* Hoc ille ἐπινίκιον ebuccinavit ante victoriam, ipſe falſus vates, qui non ità multò pòſt in turri Londi-

* *Campian. in Præfat. lib. de decem rationibus.*

Londinensi in Quæstione de Justificatione, tam certò à Doctoribus nostris victus erat, quàm non multò pòst pro merito acceptus.

Quem tamen non puduit Præfationem illam splendido expolire mendacio. *Responderunt postulatis meis* (inquit) *Hanmerus & Charcus. Quid tandem? Otiosè omnia. Nullum enim responsum, præter unum, honestè dabunt, Quòd nunquam dabunt: Conditiones amplectimur, Regina spondet; Advola.* Quasi verò omnem cum illo disputationem detrectâssent Doctores hi, quorum argumentorum pondere ille penitus obruebatur, ut constat ex Tractatu, qui, eo tempore, omnium manibus versabatur. Quan-

Quanquam quid hic tam audax *Promissor feret tanto hiatu dignum?* Et quænam illa autoritas est, quâ potissimùm niti videri voluit? Dicam. *Patres, Patres* crepat inculcátque Romanensis illa Philomela, *Vox, & præterea nihil.* Quam tamen volupe est audire.* *Ad Patres (inquit) si quando licebit accedere, confectum est prælium; tam sunt omnes nostri, quàm Gregorius Decimus Tertius* (Papa) *filiorum Ecclesiæ pater amantissimus.* Ain? *Omnes nostri?* Proculdubio hoc ab illo Atheniensi non multùm abludit, qui omnes naves in Pyræo sibi proprias vendicabat, cùm nè ad unam quidem scapham jus illi erat. Et

*Rat. 5.

quidem ementita hæc gloriatio debet censeri, nisi verè Patres ipsos designet, de quibus dixit, *Tam nostri sunt, quàm Pontifex Romanus Gregorius Decimus Tertius*. Et huc sanè incumbit ambitiosus ostentator: nam **Regnet in Anglia*, inquit, *fides illa, utinam regnet, quam hi Patres ex Scriptura extruunt, Cyprianus, Athanasius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, & Gregorius Latinus.* * Rat. 6.

Hos ille Patres recensuit (Deus bone!) in hac causa nostra (nisi insanissimè fallor) ipsissimos Patronos nostros, quibus ὁμοψήφους adjunximus octo alios, Origenem, Tertullianum, Hilarium,

rium, Nyssenum, Theodoretum, Prosperum, Fulgentium, Remigium: ut taceam Bernardum, Bedam, Anselmum, quos auctarii vice adjecimus: (quorum omnium Testimonia oculatâ fide allegavimus, non solùm meâ, sed & aliorum.) De quibus verè pronunciare possum, eos in hac controversia nostra contra *Meritum de Condigno*, tam *nostros* esse, quàm erat (cujus etiam ibidem meminit Campianus) Pontifex Gregorius Latinus totus *noster*. Gregorius, inquam, qui, non modò alios erudiens, statuit vitam æternam non *Propter*, sed *Secundum opera* reddi: verumetiam, ut sibi conscius,

Ad vitam, aiebat, *non ex meritis, sed ex venia convalesco*. Sic noster Gregorius, Gregorio Decimo Tertio multis nominibus præstantior; utpote tempore longè prior, & ideo istius nominis *Primus* designatus: pietate multò clarior; ex quo erat insignitus *Sanctus*: Denique omnium æstimatione illustris; unde cognomento hoc, *Magnus*, adornatus est.

Anglicanam Ecclesiam quod attinet, *Regnet*, inquit ille; nos autem, *Imò regnat*, inquimus, (Deo gratias) *in Anglia, atque utinam etiam perpetuò regnet fides illa, quam hi Patres ex Scripturis extruunt*. Cujus veritatis, cùm in

aliis controversiis palàm exhibuimus, tum in nuper editis de Ecclesiæ Romanæ (quatenus se Catholicam Ecclesiam esse jactitat) *Grandi Impostura*, & altera *De Missa Romana*, nonnullum specimen dedimus; tum etiam in hoc conflictu luculenter præstare præ me fero.

In quam διατριβὴν me imprimis impulit ille (sancto Paulo monitore) θεοῦ ζῆλος erga utramq; Academiam, nè ex alterutra quis Adversariorum strophis præstigiisve capiatur: quæ quales esse possint, date, quæso, veniam, ut conjecturis saltem, veluti quibusdam auspiciis, divinare mihi liceat.

1. Nomina

1. Nomina hæc Ἀξιοῦσθαι & *Mereri*, apud Patres, bonis operibus tribui ſæpe jactitant: nec hoc diſſimulamus; ſed in lata illa ſignificatione, quam etiam ab Ethnicis mutuati ſunt, pro τυγχάνειν, Latinè, *Acquirere, conſequi, obtinere*, nuſquam verò in vero & præciſo (quanquam peſtifero) ſenſu *Exigendi vitam æternam ex æqualitate juſtitiæ apud Deum.* Faceſſat igitur omnis verborum σκιαμαχία· nec enim ab externo colore, ſed ab exitiali malitia interna venenum diſcernitur.

2. Jamdudum Pontificios Proteſtantium autorum faſtidium cepit, altúſque deſpectus; quia nimirum iſti (Jeſuitæ præſertim) ſibi

sibi solis in omni disciplina primas deferendas esse venditant: quamvis ex Protestantium fontibus (expertus loquor) hortulos suos sæpe rigare soleant. In quo, quantum Calvino debeant, ex eo quis facilè auguretur, quod ex Stapletoni testimonio deprompsimus: ***Calvinus* (inquit) *quoad literam, ità Interpres diligens, ità moralis, ità elegans, & suavis est, ut---etiam ab ipsis Orthodoxis avidè interdum legatur---quos etiam aliquando exoptare audivi, ut resectis, quæ contra Ecclesiam disputantur, castratus prodiret, sic enim Commentarios ejus perutiles fore.* Quod quàm verè dixerit facile videre est, non modò ex Melchiore

*Staplet. Præfat. in Antid. Evang.

chiore Cano, qui integram paginam ex eo transſcripſit, ſed multò magis ex Salmerone & aliis: qui dum literalem ſenſum expiſcari cupiunt, interdum opertè, ità tamen ut deprehendi facilè poſsint, interdum κατὰ λέξιν Calvini interpretationem uſurpant. Quam, ſi fateri hoc vellent, *mutuatos* eos; ſin nollent, *ſuffuratos eſſe* dixerim.

3. Enimvero controverſiis dirimendis Pontificiorum mirus conſenſus & conſpiratio eſſe dicitur: nempe Andabatarum inſtar, quod cùm in controverſiis aliis, tum ſanè in hac Quæſtione liquidò conſtet, in qua fundamenta illa omnia, quæ alii eo-

rum ſummo cum artificio pro Merito poſuerint, ab aliis nullo cum negotio labefactantur illico. Quod nos ipſius veritatis victoriæ tribuendum exiſtimamus. Ità tamen, ut in hoſce ſophiſtas optimè quadret illud Catonis ſcitum, *Miror cur Haruſpex non riſerit, cùm Haruſpicem viderit.*

4. Eſt tamen ubi ſe prolixè jactitant, ex Merito ſuo Gloriam Chriſti amplificari omnino, eò quòd aſſerant, *Ex meritis Chriſti ſe accepiſſe illam ſuam virtutem merendi, per juſtitiæ æqualitatem apud Deum.* Quem nos probavimus eſſe fucum multò pernicioſiſsimum; perinde ac ſi quis eò prorumperet inſaniæ, ut (quæ

ſingula ſunt Prærogativæ Chriſto Θεανθρώπῳ propriæ) *Redimendi, immediatè illuminandi, Regenerandi, gratiam primam conferendi, juſtificandiq; virtutem*, tanquam ex Christi Meritis, ſibi arrogaret. Quod abſque neſando ſacrilegio fieri non poſſe, vel Pontificii ipſi concedunt ultro.

5. Hâc arte non ſuccedunt? Novo faſcino tenera ingenia corripere ſatagunt. Solifidianorum Hæreſis ſcilicet Proteſtantibus impingenda eſt, quippe ſublatâ opinione *Meriti de condigno*, bonorum operum gloriam omnem obfuſcari, neceſſitatem bene operandi tolli, & nihil non flagitii perpetrandi licentiam ho-

minibus

rum summo cum artificio pro Merito posuerint, ab aliis nullo cum negotio labefactantur illico. Quod nos ipsius veritatis victoriæ tribuendum existimamus. Ità tamen, ut in hosce sophistas optimè quadret illud Catonis scitum, *Miror cur Haruspex non riserit, cùm Haruspicem viderit.*

4. Est tamen ubi se prolixè jactitant, ex Merito suo Gloriam Christi amplificari omnino, eò quòd asserant, *Ex meritis Christi se accepisse illam suam virtutem merendi, per justitiæ æqualitatem apud Deum.* Quem nos probavimus esse fucum multò perniciosissimum; perinde ac si quis eò prorumperet insaniæ, ut (quæ

singula

singula sunt Prærogativæ Christo θεανθρώπῳ propriæ) *Redimendi, immediatè illuminandi, Regenerandi, gratiam primam conferendi, justificandiq; virtutem*, tanquam ex Christi Meritis, sibi arrogaret. Quod absque nefando sacrilegio fieri non posse, vel Pontificii ipsi concedunt ultro.

5. Hâc arte non succedunt? Novo fascino tenera ingenia corripere satagunt. Solifidiano-rum Hæresis scilicet Protestantibus impingenda est, quippe sublatâ opinione *Meriti de condigno*, bonorum operum gloriam omnem obfuscari, necessitatem bene operandi tolli, & nihil non flagitii perpetrandi licentiam hominibus

minibus indulgeri ad ravim usq; clamitant & vociferantur. Sed quid (malùm!) mentiendi hoc Cacoëthes sibi vult? Esse enim hoc insigne ac pellucidum mendacium ex ingenuis ipsorum Pontificiorum confessionibus ità evicimus, ut si quam voluptatem illi falsò nos criminando ceperint, eam Doctorum suorum confessionem veram audiendo amittant. Nec tamen satis erit hoc modo adversariorum nostrorum criminationes obtrivisse, nisi etiam ex Patribus probemus, Protestantes bonorum operum necessitatem haud minorem, dignitatem verò longè illustriorem, & veræ pietatis proventum

proventum uberiorem, feliciorémque profiteri, juxtà ac promovere.

Ad vos tandem redeo (Viri clarissimi) quorum interest prospicere, non modò nè cæremonias, veluti Ecclesiæ phylacteria, improbè quis arroserit: sed multò etiam magis, nè articulos ejus, tanquam spiritus vitales, eliserit. Ex his facilè intelligatis cur vobis hoc, quicquid est opellæ, nunc dico, consecróque. In qua causam hanc uberiùs disserui, ut faciliùs effugerem Adversariorum calumniam; præsertim cùm (ut scitè cautéque Cicero) *Quæ angustiùs & breviùs concluduntur, ea ferè apertiora & aptiora sunt*

ad reprehendendum. Quin hæc vos (quæ est vestra φιλαλήθεια, Viri Ornatissimi) æqui boníque consuletis, nullus dubito. In CHRISTO JESU valete, qui vos conservet in gloriam Gratiæ ipsius. *AMEN*.

THO. DUNELMENSIS.



Me-

Status Controversiæ.

CAP. I.

De Merito ex congruo *Quæstiones tres. Usus ejus explosus.*

CAP. II.

De Merito ex Condigno: *Quid sit Quoad nomen, Quoad sensum,* sect. 2, & 3.

Classes Scripturarum sex à Pontificiis objecta, & soluta, sect. 3. usque ad 8.

CAP. III.

Objectiones ex Patribus pro nomine Meriti *solvuntur,* sect. 2, & 3.

CAP. IIII.

Contra Meritum de Condigno, *ex sacris literis.*

Tria Argumenta contra Meritum de Condigno *ex Pontificiorũ ipsorum principiis & confessionibus.*

CAP. V.

Argumentum nostrum primum,

Quia bonum opus caret æqualitate justitiæ apud Deum, *tum commutativa,* sect. 2. *tum distributiva,* sect. 3. *tum etiam utriusque,* sect. 4.

CAP. VI.

Argumentum nostrum secundum

Ex Pontificiis, contra Meritum de Condigno: Quia opus bonum caret omni fundamento Condignitatis. *Contra prætextum primum Liberi arbitrii,* sect. 2, 3. *Spiritûs sancti, ac membri Christi,* sect. 4. *Atque etiam Pacti,* sect. 5, 6, & 7.

CAP. VII.

Argumentum nostrum tertium

Ex Pontificiis, Quia vita æterna redditur ex dignatione,

tione & acceptatione Dei, *juxta confessiones Pontificiorum locupletissimas*, sect. 21.

Argumenta tredecim ex Scripturis & Patribus simul adversus *Meritum de Condigno*.

CAP. VIII.

Argumentum nostrum primum,

Quia bonum opus est donum Dei. *Scriptura*, sect. 2. *Patres*, sect. 3.

CAP. IX.

Argumentum nostrum secundum,

Quia omne opus bonum est Deo debitum. *Scripturæ*, sect. 2. *Patres*, sect. 3.

CAP. X.

Argumentum nostrum tertium,

Quia omne opus nostrum indignum est tantâ remuneratione. *Scriptura*, sect. 2. *Patres*, sect. 3.

CAP. XI.

Argumentum nostrum quartum,

Quia Deus esse nequit propriè debitor hominibus. *Ex Scripturis*, sect. 2. *Ex Patribus*, sect. 3. *Ex ipsis Pontificiis*, sect. 4.

CAP. XII.

Argumentum nostrum quintum,

Quia ipsa vita æterna est Dei donum. *Scripturæ*, sect. 2. *Patres*, sect. 3.

CAP. XIII.

Argumentum nostrum sextum,

Quia vita æterna est donum hæreditarium. *Ex Scripturis*, sect. 2. & 3. *ex Patribus*, sect. 4. *Objectio*, Regnum cœleste est venale, *sect*. 5. *Solut. triplex*,

triplex, sect. 5, 6, 7, & 8.

CAP. XIIII.

Argumentum nostrum septimum,

Quia vita æterna est supra Condignum operis cujuscunque. *Ex Scripturis*, sect. 2. *ex Patribus*, sect. 3. *object. sol. sect.* 4.

CAP. XV.

Argumentum nostrum octavum,

Quia opus bonum nihil quicquam Deum juvat. *Scriptura*, sect. 2. *Patres*, sect. 3.

CAP. XVI.

Argumentum nostrum nonum,

Quia talis venditatio apud homines esset odiosa & execrabilis. *Ex Scripturis*, sect. 2. *ex Patribus*, sect. 3. *ex Ethicis*, sect. 4. *Ex Philosophis*, sect. 5. *& ex Pontificiis*, sect. 6.

Contra Pontificiorum ultimum refugium, quasi Christus meruerit nobis virtutem merendi.

CAP. XVIII.

Argumentum nostrum decimum,

Quia prætextus iste est derogatorius propriis Christi meritis: *probatur per Theses quatuor*, *sect.* 3, 4, 5, 6. Quia Protestantium doctrina magis amplificat Christi merita, *sect.* 7. 8, 9. Quia Patres Pontificiis adversantur, *sect.* 10, *&* 11. Vindicatio sententiæ Augustini, *sect.* 12. Quia antiquæ Romanæ Ecclesiæ fidei repugnat, *sect.* 13. Et hodiernæ Ecclesiæ praxi, *sect.* 14.

CAP. XVIII.

Argumentum nostrum undecimum,

Quia opus Christianitatis

nobilissimum, (quod est martyrium pro Christo) non est meritorium. *Ex Scripturis & Patribus*, sect. 2, & 3.

CAP. XIX.

Argumentum nostrum duodecimum,

Quia pro omni bono debetur Deo gratitudinis officium. *Ex Scripturis*, sect. 2. *Ex Patribus*, sect. 3, & 4.

De profectu veræ pietatis per abolitionem *Meriti de Condigno.*

CAP. XX.

Argumentum nostrum decimum tertium,

Quia Doctrina de Merito ex Condigno obest plurimùm profectui veræ pietatis: *Probatur per Theses varias, nempe*

1. De necessitate bonorum operum quæ à Protestantibus exigitur, *sect.* 2, 3. *usque ad* 9.
2. De imperfectione bonorum operum quatenus à nobis, *sect.* 9. *usque ad* 13.
3. De dignitate operum nostrorum quatenus per gratiam, *sect.* 13, 14, 15.
4. De ipso profectu veræ pietatis; Quia Protestantes adversus *Meritum de Condigno* pugnant iis Argumentis, quibus Patres antiqui usi sunt in hortando & suadendo ad omnem sanctitatem, *sect.* 16, 17.

Index rerum.

A

Adoptio dignitatem bonorum operum facit, cap. 20. § 13.
Adoptio obest Merito, cap. 13.
Æqualitas Justitiæ ad præmium vitæ æternæ falsò tribuitur operibus, cap. 5. §. 1. &c. Vid. *Justitia*.
Ambulare in via ad Regnum cæleste, quid, cap. 20. §. 8. *Probat necessitatem operandi absque merito*, ibid.
Augustinus objicitur & vindicatur, cap. 12. sect. 3. *Judicium ejus vindicatur contra virtutem nostram merendi, tanquam ex meritis Christi*, cap. 17. sect. 11, & 12, &c.
Ἀξιῶσαι vox, cap. 2. § 3.

B

Beneficia maxima quæ in nescientes nolentésque conferuntur, cap. 16. sect. 5.
Bonorum operum imperfectio ex Patribus, cap. 2. § 9, & 11. *Quomodo consistat cum bonitate operis, ut non illud censeatur peccatum*, cap. 20. § 8, 9, 10.

C

Christi Merita propria extrudi per Pontificiorum virtutem merendi, cap. 17. § 6. *Talem virtutem negare, non est Christi meritis detrahere*, § 7. *Imò est gloriam Gratiæ amplificare*, § 8, & 9. *Dogma illud à Patribus prosternitur*, § 10. *Et est Romana Ecclesia veteris doctrina*

doctrinæ, atque ejusdem Ecclesiæ praxi hodiernæ repugnans, sect. 13. & 14.
Christum dici, meruisse nobis virtutem merendi, pro fuco objicitur nequiter, probatur per cap. 17, 18, & deinceps.
Cicero pro gratitudine absoluta de donis Dei, cap. 16. § 5.
Cœlum venale. Vide Regnum Dei.
Commutativa Justitia falsò tribuitur Deo, ad inferendum meritum, cap. 5. sect. 2, & 4.
Condignum Meritorium, quid, cap. 2. sect. 1.
Corona non infert meritum, cap. 2. sect. 7.
Corona ex misericordia. Scriptura, cap. 10. § 2. *ex Patribus*, § 3.
Corona Justitiæ quam reddet justus Judex, objicitur, cap. 11. § 3.

D

Debitum. Vitam æternam non deberi operantibus, cap. 11. sect. 3. *Debitum opus nullum est meritorium*, cap. 9. sect. 1. & 2. *Ex Patribus*, sect. 3.
Debitorem institui Deum nequiter. Contra quod Patres, cap. 11. sect. 3. *&* *Scholastici*, § 4.
Deus ex promissione Debitor objicitur pro merito, cap. 2. § 8.
Deus propriè Debitor bene merentibus falsò ponitur à Pontificiis, cap. 11. § 1. *Scholastici contrà*, § 4.
Deo opera nostra nihil prosunt, cap. 15. § 1, &c.
Dei cum hominibus comparatio respectu meriti, cap. 16. § 2. *Patres*, § 3. *Ex Ethnicis*, § 4. *Et nonnulla Pontificiorum confessiones* § 5.
Dignatione Dei & misericordiâ obtinemus vitam æternam.

æternam. Multiplex adversariorum confeßio, cap. 7. § 1.

Digni *vox non infert meritum*, cap. 2. § 3. *Indigna opera nostra vitâ æternâ*, cap. 9. § 2, & 3. cap. 10. § 2, & 3. *Vita æterna supra condignum*, cap. 14.

Dignitas bonorum operum à Protestantibus asseritur dupliciter, cap. 20. § 13.

Dispositiones. *Nullum inest meritum de congruo in dispositionibus excitantibus ad gratiam*, cap. 1. § 2. *nec in Justis ad reparationem post peccatum*, sect. 3.

Distributiva Justitia falsò tribuitur Deo ad inferendum Meritum de condigno, cap. 5. sect. 3, & 4.

Donum quod est, nequit esse meritum, cap. 8. §. 1.

Donum Dei vita æterna, ergò non ex merito operantis, cap. 12.

E

EMere cœlum, *objicitur ex Patribus perperam*, cap. 13. sect. 5, 6, 7, 8.

Enim, *vox, objicitur pro merito*, cap. 2. § 5.

Ethnici Pontificios revincunt respectu meriti nostri erga Deum, cap. 16. § 4, & 5.

Excellentia virtus omnis Christo propria est, cap. 17. sect. 3, & 4, & 5.

F

F*Iliatio adoptionis bonorum obstat merito*, cap. 20. § 14.

G

G*Ratias agere Deo, est totum quod possumus*, cap. 15. § 2.

Gratitudo Deo debita, cap. 19. § 1. *Probatur ex quinq; gratitudinis proprietatibus*, § 3. *Neceßitas gratitudinis, & difficultas ejus ex sex objectis ejus*, sect. 4.

Gratitudo verè pietatis nostra merito obstat, cap. 20. sect. 16.

H

H*Æreditas propriè convenit vita aterna ex Patribus*, cap. 13. sect. 3. *excludit meritum de Condigno*, cap. 20. § 13, & 14. *Typus hujus in Israelitis*, sect. 15.

I

I*Mpiorum flagitia inter, & Sanctorum opera bona, non est ratio aqualis ad meritum*, cap. 2. § 5. & cap. 14. sect. 4.

Imperfectio operum ex Patribus, cap. 9. § 3. & cap. 20. § 11. *Agnitio ejus calcar ad virtutem*, § 12.

Justitia aqualitas absoluta requiritur in merito de Condigno, cap. 2. § 1.

Justus Deus, *objicitur pro merito*, cap. 2. § 7, & 8.

Justi *quomodo vocantur*, cap. 20. sect. 11.

Justitia commutativa *falsò Deo tribuitur ad inferendum meritum*, cap. 5. § 2. *Et ibidem Justitia ad inferendum Meritum de Condigno*, ibid. § 3, & 4.

Justitiam exactam non intercedere inter nos & Deum confitetur Jesuita, cap. 16. § 6. *Similitudines ejus*, ibid.

L

L*iberum arbitrium non infert meritum*, cap. 6. § 2.

Liturgia Romana excludunt merita, cap. 17. § 14.

M

M*Artyrium. De hoc copiosè*, cap. 14, *per totum. Nihil ex eo Deo prosumus*, cap. 15. § 2.

Martyrium pro Christo *non est meritorium vita aterna, ex Patribus copiosissimè*, cap. 18. § 1, 2, 3.

Membrum

Membrum esse Christi *in bene operando non infert meritum*, cap. 6. § 4.

Merces, *vox, objicitur pro* Merito, cap. 2. sect. 4. *Merces non tribuitur propriè vitæ æternæ; probatur ex Patribus*, cap. 13.

Meritum ex congruo *explosum*, cap. 1. *Nullum inest meritum in dispositionibus excitantibus ad gratiam*, § 2. *Nec in Justis ad reparationem post peccatum*, § 3. Meritum de Condigno *quid*, cap. 2. Meriti *nomen apud Patres falsò objicitur ad probandum Meritum de Condigno*, cap. 3. § 2. Meritum de Condigno: *Contra quod ex Scripturis*, cap. 4. *& ex Pontificiis*, cap. 5, 6, & 7.

Meritorum pœnæ & præmii non est par ratio, cap. 2. § 5. *Meritum propriè dictum est virtus excellentiæ, adeòque Deo propria*, cap. 17. § 5. *Excludit propriè dicta Christi Merita*, § 6. *Protestantes negando virtutem nostram merendi, tanquam à Meritis Christi, nihil detrahere à Christi meritis*, § 7. *nec extenuant, sed amplificant Dei gloriam*, sect. 8, & 9. *Patres pugnant contra illam supposititiam virtutem nostram merendi*, sect. 10.

Mereri, *vox, apud Patres idem sonat atque* obtinere *&* acquirere, cap. 3. sect. 3.

Misericordiâ & acceptatione Dei obtinemus vitam æternam. Multiplex Pontificiorum confessio, cap. 7. sect. 1. *Misericordiâ Justi coronantur. Ex Scripturis*, cap. 10. sect. 2. *Ex Patribus*, § 3.

Mortem nostram pro Christo emit Christus priùs, cap. 15. § 2.

N

NEcessitas bonorum operum à Protestantibus asseritur & defenditur, cap. 20. sect. 2.

O

OPus omne bonum Dei donum, ergò non propriè meritorium, cap. 8. § 1. Patres, § 3.

Opus bonum nihil Deo prodest, cap. 15. § 1. Scriptura, § 2. Patres, § 3.

Operum imperfectio ex Patribus, cap. 9. § 3. & cap. 10.

Operum bonorum necessitas à Protestantibus defenditur, cap. 20. § 2, & 6.

Opera bona quomodo actoribus causa vitæ æternæ, secluso merito, cap. 20. § 7, & 8.

Operum bonorum dignitas, Vide Dignitas. Vide Necessitas.

P

PActum & conditio Dei cum operantibus non infert meritum ex Scholasticis Doctoribus, cap. 6. § 5.

Passiones omnes non dignæ vitâ æternâ, cap. 14, per totum, ex Patribus.

Pietatis profectus, excluso merito, virtute gratitudinis debita, cap. 20. § 16. A Patribus suadetur iis rationibus quibus contra meritum pugnant, § 17.

Placare & placere, voces, objiciuntur pro merito, cap. 2. § 2.

Præmium excellens, donatio potiùs in confesso est, cap. 16. § 6.

Preces nostræ non impetrant per modum Justitiæ, cap. 6. § 7.

Promissio Dei objicitur pro merito, cap. 2. § 8.

Protestantes nituntur meritis Christi, ut opera sint Deo grata, cap. 2. § 1. Negando virtutem nostram merendi, tanquam à meritis Christi, nihil detrahunt à

Christi meritis, cap. 17. § 7. *Nec extenuant sed amplificant Dei gloriam*, § 8, & 9. *Patres pugnant contra suppositi-tiam illam virtutem nostram merendi*, § 10. *Defendunt operum bonorum necessitatem*, cap. 20. § 2, & 6. *Calumniis sectantur eos Pontificii ut hostes bonorum operum*, § 3. *Pontificiorum confessiones, & crudelitas probat*, § 4, 5. *Quomodo opera bona sentiunt non esse peccata, non obstante imperfectione illarum*, § 9, 10, 11. *Operum bonorum dignitatem illustriorem agnoscunt quàm Pontificii, dupliciter*, § 13. *Eisdem Argumentis pugnant adversus* Meritum, *quibus utuntur Patres ad pietatis profectum promovendum*, § 17.

Q

QUia, *vox*, *objicitur pro Merito*, cap. 2. § 6.

R

REgnum *cœleste venale esse*, *objicitur ex Patribus, sed distortè*, cap. 13. § 5, 6, 7, & 8.

Romana Ecclesia doctrinâ suâ defendit merita apud Deum: quæ, Deum precando, merita omnia sua excludit, cap. 17. § 14.

S

SAtisfactio *nulla Deo pro peccato, nisi pretii infiniti, conceditur*, cap. 14. § 4. *Satisfactio humana improbè, à Pontificiis, cum Christi satisfactione commiscetur atque confunditur*, cap. 17. § 5. *Ex confesso*, ibid.

Scholastici Doctores contra meritum congrui, cap. 1. *per totum. Contra meritum ex Justitia commutativa & distributiva*, cap. 5. *Contra illud, tanquam ex Libero arbitrio, aut inhabitante Spiritu sancto*,

Sancto, aut membro Christi, aut pacto, cap. 6. *Pro dignatione & acceptatione Dei in remunerandis operibus, scholasticorum cohors*, cap. 7. *per totum. Contra Pontificiorum dogma de Deo Debitore*, cap. 11.

Secundum opera, *phrasis hac pro merito objicitur*, cap. 2. § 2, & 5.

Seneca *contra meritum humanum erga Deum*, cap. 16. § 5.

Servus inutilis, *quid sibi vult*, cap. 9. § 2. Servi *vox quomodo conveniat Christiano respectu Filii*, cap. 20. § 14.

Spiritus sanctus inhabitans in piè operantibus non infert meritum de condigno, cap. 6.

Stipendium peccati propriè mors; non tamen pietatis, vita aterna, cap. 12.

Si, *vox, non infert meritum. Ex Scripturis*, cap. 2. § 8.

V

VEnale *Regnum calorum dicitur, quomodo*, cap. 13. § 5. *& Augustini judicium*, cap. 14. § 3.

Virtutes excellentiæ *qua dicuntur, sunt Christo propria*, cap. 17. § 3.

Vita aterna donum Dei; ergò non ex hominis merito, cap. 12. *Non* Merces *sed* Hæreditas, *cap.* 13. *Ex Patribus*, sect. 3. *Est supra omnem condignitatem operum*, cap. 14.

Index

Index Scripturarum.

JOb. 35. *Si juste egeris, quid donabis ei?* cap. 15. sect. 2.

Psal. 102. *Deus coronat in misericordia*, cap. 10. sect. 2, & 3.

Psal. 116. *Quid retribuam Domino pro omnibus, &c.* cap. 18. sect. 3.

Prov. 24. κατ' ἔργα, cap. 2. sect. 2. non est *secundum merita*.

Ose. 13. *Perditio tua ex te*, cap. 2. sect. 5.

Malach. 1. *Offer illud Duci tuo*, cap. 16. sect. 2.

Matth. 19. *Si vis vitam ingredi, serva mandata*, cap. 2. sect. 8. Matt. 20. *Reddet mercedem*, cap. 2. sect. 5. & Matth. 21. *Benedicti Patris mei, possidete regnum, dedistis Enim*, sect. 6.

Luc. 6. *Quâ mensurâ*, cap. 2. sect. 5. Luc. 7. *Remissa peccata, Quia dilexit, &c.* cap. 2. sect. 6. Luc. 17. *Cùm omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus*, cap. 9. sect. 2.

Joann. 1. 16. *Gratiam pro gratia*, cap. 6. sect. 3.

Act. 5. 41. κατηξιώθησαν, *vox*, cap. 2. sect. 3.

Rom. 6. *Stipendium peccati mors*, cap. 6. sect. 3. *Gratia autem Dei, vita æterna*, cap. 10. sect. 3. Ibidem Augustinus, & cap. 12. sect. 2. Augustinus ibidem & alii Patres. Rom. 7. *Carne servio legi peccati, &c.* cap. 20. sect. 10. Rom. 8. *Si filii, hæredes, &c.* cap. 13. sect. 2. Cap. eod. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, &c.* cap. 14. sect. 2. & denique,

Si

Si filii, hæredes, &c. cap. 2. sect. 14. Rom. 11. *Quis prior dedit, & retribuetur ei?* cap. 15. sect. 2.
Gal. 5. *Vivo ego, jam non ego, &c.* cap. 6. sect. 4.
2. Thes. 2. *Digni regno*, cap. 2. sect. 3.
2. Tim. 4. *Coronam reddet justus Judex*, cap. 2. sect. 7. &. cap. 11. sect. 3.
Heb. 13. *Talibus hostiis promeretur Deus*, cap. 2. §2.
1. Pet. 1. *Deus Pater nos regeneravit in hæreditatem*, cap. 13. sect. 2.
1. Joann. 2. *Si quis confitetur, justus est, &c.* cap. 2. sect. 8. & cap. 6. sect. 7.
Apoc. 2. *Si viceris, dabo*, cap. 2. sect. 8. Apoc. 3. *Quia digni*, cap. 2. sect. 3. Apoc. 7. *Quia venerunt è tribulatione*, sect. 6.



STATUS CONTROVERSIÆ IN GENERE.

PRotestantes *OPERA BONA* ad *salutem necessaria esse, & destinata media defendunt.*

Pontificii Doctores EA præterea PROPRIE DICTA MERITA esse venditant.

MERITUM verò duplex esse statuunt, 1. *De Congruo.*
2. *De Condigno.*

Contra MERITUM DE CONGRUO.

CAP. I.



Eritum de Congruo (definitore [a] *Vegâ*) *est Actio libera, cui congruum sit, ut par aliquod respondeat Præmium.* Opiniones Eorum, de hoc *Merito*, ad Quæstiones tres reduci possunt.

[a] Vega, *lib.* 8. *de Justif. cap.* 8.

QUÆST. I. { *An ulla Merita de Congruo antecedant Justificationem.*

SECT. I.

Fuerunt in Ecclesia Romana non nullius nominis Authores, qui hoc affirmârunt; adversus quam opinionem Ecclesia nostra Anglicana Articulum suum, veluti salutiferum Antidotum præscripsit hisce verbis, *ART.* XIII. *Ante Gratiam Christi, & Sancti Spiritûs inspirationem, Opera nostra non sunt Deo grata, utpote quæ non dimanent à fide in Christo Jesu, nec homines idoneos faciant ad Gratiam recipiendam, vel* (ut loquuntur Scholastici) *ut mereantur Gratiam de Congruo. Imò quia non secundum Dei mandatum fiunt, non dubitamus quin in se habeant naturam peccati.* At verò quàm nullius authoritatis sint contrariæ Opinionis *Scholastici* Authores, ex illius Refutatione discat Lector, non quidem nostrâ (nec enim necesse est) sed ex ipsorum Pontificiorum confessione, qui in ea refellenda diligentem operam navârunt.

Summa est, *Quòd omnes absq; fide in Christo sub maledictione sunt*, Gal. 3. Quidni igitur Adversarios nostros tandem resipiscere patiamur, & nobiscum, quoad liceat, in gratiam redire: quippe (siqua *Stapletono* fides) [b] *Meritum de Congruo, respectu primæ Gratiæ* (inquit) *jam olim explosum est.* Et paulò pòst, *Utcunq; igitur*

[b] Stapleton. de Orig. pec. lib. 2. cap. 4.

igitur vel olim Scholastici aliqui, vel circa initium hodierni Schismatis Scriptores aliqui Catholici de hac præparatione hominis ante Gratiam, & consequenter de viribus humanæ naturæ nondum sanatæ imprudenter scripserunt; non est illud hodie ab aliquo Authore Catholico defensum: sed juxta Concilii Tridentini definitionem, & plurimorum hodie Tractatorum Catholicorum consentientes sententias, in confesso omnibus est, Vires naturæ sic per peccatum Originale fractas esse & debilitatas, ut sine habituali dono, per Christi gratiam infuso, neq; Deum diligere, vel ullum opus bonum, ut oportet, & ut Meritorium esse queat, præstare valeant: neq; sine speciali Dei auxilio per liberum arbitrium ad oblatum Gratiæ donum acceptandum cooperari. Hæc ille. Nos igitur nè, veluti * ἀέρα δέρων, absq; Adversariis pugnare videamur, missum faciemus hoc Membrum speciei primæ de *Merito ex Congruo.* * 1.Cor. 9. 26.

QUÆST. II. { *De Dispositionibus, quibus Peccatores ad Gratiam ex Gratia excitantur.*

SECT. II.

De quibus sic statuit *Bellarminus;* [c] *Hæ non excludunt Meritum, modò non tribuatur eis Meritum de Condigno.* Rursus, *Nos quidem intelligere non possumus, cur non sit hoc tempore* [c] Bellar. lib. 1. de Justif. cap. 21.

re utendum nomine Meriti, præsertim cum additione illa de Congruo, cùm agitur de Operibus, quæ fiunt ex Gratia præveniente. Idem [d] *Vega* contendit; qui tamen agnoscit, [e] *Doctissimos quosdam & pientissimos Viros eò propendere, ut Ecclesia Meritum Congrui repellat, tanquam novum Inventum.* Quinimo *Gregor. de Valentia*, rejectâ priùs illâ sententiâ, ut *Pelagianâ*, quæ docuit *Hominem ex justitia mereri ut in Dei gratiam recipiatur*, aliam aggreditur. [f] *Non probamus*, inquit, *Sententiam Eorum, qui dicunt nos primam Gratiam mereri ex Congruitate Operum, quibus nos ultimò ad illam disponimus. Non ità est — repugnat Meritum Congrui habere suam perfectionem, aut Congruitatem ex præmio, tanquam ex principio.* Et paulò pòst, *Longè probabiliùs diceretur, per Opera bona Moralia, quibus aliquis ante acceptam Gratiam faceret quod Moraliter posset, eatenus primam Gratiam ex Congruo illam mereri, quatenus conveniens & congruum est, ut cùm talis facit quantum in illo statu moraliter potest, Deus etiam præstet id quod suarum est partium: hoc est, ei auxilia augeat, quibus adjutus poßit Gratiam consequi, atque adeò consequatur, si sibi non desit.*

[d] Vega opusc de Meritis, quæst. 7.
[e] Idem Vega lib. 8. de Justif. cap. 8
[f] Greg. de Valent. de divin. Gratia, part. 4. ad finem cap. 6.

Theologus Pontificius *Patavinus Paulus Benius Eugubinus* multus est in hoc Argumento. Operæ-pretium erit sententias ejus, sparsim positas, in compendium reducere, ubi à præcipua Dispositione, quæ est *Fides*, auspi-

auſpicatur. [g] *Quòd ſi Auguſtinus dicit* (inquit) *Epiſt.* 105. *fidem impetrare poſſe remiſſionem peccatorum: Et rurſus Epiſt.* 106. *Poſſe nos per fidem mereri Gratiam bene operandi*— *Ego ſanè poſſem ad eundem Auguſtinum ſexcentis in locis provocare; in quibus tuetur, Juſtificationem ullo planè noſtro prævio Merito non modò non inchoari, ſed nè abſolvi quidem: ut Epiſt.* 105. *Quæ igitur ſua merita jactaturus eſt Liberatus? qui, ſi digna ſuis meritis redderentur, non eſſet niſi damnatus.*— *Huic Patrum ſententiæ Conciliorum multorum poſſet addi ſenſus & irrefragabile judicium. Etiam Concil. Trident. Seſſ.6. cap.8. explicans illud Apoſtoli, [Juſtificati gratìs] Gratìs quidem ideo juſtificamur* (inquit) *quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur* — *alioquin, ut idem Apoſtolus, Gratia non eſſet Gratia.* Pòſt arguit, *Arbitramur hoc demonſtrari poſſe, quia ante habitualis Charitatis adeptionem, adhuc ſumus filii iræ.* Hæc ille, & nonnulla alia in eandem ſententiam. Sed plura Teſtimonia accumulare ſupervacaneum erit.

[g] Benius de Grat. & lib. Arbit. cap. 18. num. 13.

QUÆST. III. { *An Justus in Gratia constitutus, si fortè in peccatum mortale labatur, possit promereri Gratiæ Reparationem.*

SECT. III.

[h] Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. ult. § Præterea.

AD hanc *Bellarminus*; [h] *Potest homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex Congruo Gratiam Justificationis, ut in primo libro demonstratum est. Cur igitur non poterit idem ipse, dum est Justus & amicus Dei, impetrare ac mereri, ex Congruo, reparationem, si fortè labatur?* Sic ille. In quo quàm turpiter labitur Cardinalis, probabimus. Primo in loco *Aquinas*, nempe Romanæ Scholæ Oraculum ipsum (cui tamen Cardinalis prudens sciénsque adversatur) [i] *Dicendum est* (inquit) *quòd nullus sibi mereri potest reparationem post lapsum futurum, neque merito Condigni, neque merito Congrui—propter impedimentum peccati in eo cui quis meretur.* En insuper *Vasquem* Jesuitam Commentatorem oppidò opportunum! [k] *Hæc Conclusio Thomæ* (inquit) *confirmatur Ezech.* 18. [*Si averterit se Justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, sed in iniquitate sua morietur.*] Consensum quæris? Idem paulò antè; *De qua Conclusione nulla est apud Scholasticos controversia: in quam consenserunt Alex. Cajetan. & reliqui*

[i] Aquin. 1. 2. quæst. 114. Art. 7.

[k] Vasques in 1. 2. Tom. 2. qu. 114. Art. 7. p. 876

liqui

liqui Thomæ Interpretes. Rationem deposcis? —*Si opus factum in Gratia esset meritorium* (inquit) *reparationis post lapsum, tum absq; ullo adjutorio tolleret peccatum.* Sic ille. Nempe valeret ad impediendum lapsum in peccatum. Imò & *Greg. de Valentia*, cùm jam præstò adest, non est negligendus. [1] *Reparationem verò post lapsum* (inquit) *Operibus ex gratia ante lapsum factis nullo modo mereri possumus--- Non viget enim præteritum Meritum, cùm quis post lapsum in gratiam restituitur: nam per lapsum fuit mortificatum.* Mihi si liceret aliquid de proprio addere, dixerim ego, vix posse esse dogma (ut ità loquar) novercale magis, & ad præsumptionem in omne peccatum magis præceps, quàm est illa *Bellarmini* Assertio. Ex his quis non clarè videat, in quæstione *De Merito ex Congruo*, Doctores Pontificii quàm parùm inter se congruant? ut taceam quàm indignè illud *Meritum* appelletur, quod, ex Adversariorum opinione, non habet ullam rationem propriè dicti *Meriti*; nec cui Præmium jure ullo debeatur. Facessat igitur omnis *Congruitatis Meritoriæ* fictio, ut ad propriè dictum *Meritum*, quod de *Condigno* appellitant, accedamus propiùs.

[1] Valent. Jes. *de divin. Grat. par.* 4. *cap.* 6.

CAP. II.

CAP. II.

De MERITO propriè dicto DE CONDIGNO Decretum Romanæ, *& Ei repugnans* Ecclesiæ Anglicanæ *Articulus.*

Status Controversiæ.

SECT. I.



Xtat CONC. TRIDENT. Canon, quem boni illi Patres noviter hominum Conſcientiis impoſuerunt, viz. [m] *Si quis dixerit hominis juſtificati bona Opera ità eſſe dona Dei, ut non ſint etiam Bona ipſius juſtificati Merita; aut ipſum Juſtificatum bonis Operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Christi meritum, cujus vivum eſt membrum, fiunt, non verè mereri vitam æternam: Anathema ſit.* [n] *Opera noſtra propriè merentur felicitatem de Condigno.* Sic illi. Hoc *Meritum* quid ſit, Pontificii alii preſſiùs, alii explicatiùs definiverunt; ità tamen ut omnes (qui illud rectè definiunt) ſtatuant illud in *Æqualitate juſtitiæ* conſiſtere apud Deum, ad vitam æternam promerendum. Exempli causâ, 1. *Coſterus* Jeſ. [o] *Meritum de Condigno eſt Actio libera,*

[m] *Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 22.*

[n] Bellarm. *lib. 5. de Juſtif. cap. 16. & 17. paſſim.*

[o] Coſter. *Enchirid. cap. 7. Tract. de Meritis.*

bera, cui merces debetur ex Justitia. 2. Definitio, quam suis Lectoribus dictabat *Bellarminus*, hujusmodi est. [p] *Absolutam æqualitatem inter Meritum & Mercedem Deus constituit, ut unusquisque tantam habeat mercedem, quantam Dei judicio meretur.* Dein addit; *Hoc ex promissione Dei fit, sine qua non potest mercedem exigere.* 3. *Vasquez* Jes. [q] *Opera nostra non dignitatem habent à persona Christi, sed à persona à qua procedunt.* Item; [r] *Nostra merita ità perfectè meritoria sunt vitæ æternæ, ut nullum habeamus defectum, ob quem denegetur illis vita æterna, aut dignè denegari possit.* Neq; hoc solùm, sed etiam; [s] *Meritum est comparatione alicujus præmii obsequium, quod naturâ suâ exigit præmium hujusmodi, tanquam parem gratiam, illi referre.* Hæc ille. Denique, *Suarez* Jesuita pleniore accentu, ubi contendit, Vitam æternam deberi operibus Justorum: *Loquimur* (inquit) *de Operibus, quæ ex rigore debitum Justitiæ requirant.* Hæc ille, (ut infrà referemus, Cap. 11. Sect.1.) & plura alia in eandem sententiam. Et profectò siquod intercederet *Meritum de Condigno* inter nos & Deum, tale illud esse oportet, quale isti Jesuitæ nunc delineârunt: ad quod requiritur 1. ut *Actio sit libera:* 2. ut in *Æqualitate justitiæ* consistat, non autem aliquâ Dei benignitate aut misericordiâ nitatur: 3. ut *Æqualitas* ea *Absoluta* sit, nec Christi Gratiâ extrinsecâ egeat:

[p] Bellar. lib. 5. de Justif. cap. 14.

[q] Vasquez in 1.2. Tom. 2. disp. 214. cap. 7. n 44.

[r] Ibid. disp. 222. num. 30.

[s] Idem ibid. Disp. 213. cap. 5. n. 29.

egeat: 4. ut talis sit omnino, quæ apud Deum æternam vitam suo jure possit *exigere:* 5. supposito Pacto seu Promissione Dei. Vera hæc est, fateor, & exacta definitio propriè dicti *Meriti de Condigno.*

Hoc illud Monstrum est, quod tum Scripturarum sacrâ ac divinâ, tum etiam Antiquitatis Catholicâ authoritate profligare ac pessundare conamur, juxta sententiam Ecclesiæ nostræ Anglicanæ, quæ eam, ut provida Mater, & salutis γνησίων παίδων solicita, nobis propinavit in Articulis xi & xii. *Justi habemur coram Deo tantùm ex meritis Jesu Christi, per fidem, & non ex operibus, aut meritis nostris. Quamvis autem Opera bona, quæ sunt fructus fidei, & Justificantem sequuntur, non possunt delere peccata, aut severam Dei justitiam sustinere, sunt tamen Deo in Christo grata atque accepta, & à vera ac viva fide necessariò dimanant: per quæ fides viva non minùs apertè innotescat nobis, quàm arbor per fructum ejus discernitur & dijudicatur.* Cum qua quàm amicè Orthodoxéque Protestantes alii conspirent, malim ego ex Adversariorum confessione, quàm ex ipsorum scriptis referre. Prodit igitur *Vasques,* qui de *Protestantibus* testatur in hæc verba; * *Opera bona necessaria esse dicunt, sicut etiam dixerunt Remunerationem necessariam esse, per fidem, spem, & charitatem, ad Justificationem: ità tamen ut justorum opera non sint digna remu-*

* *Infrà c.* 8.

remuneratione vitæ æternæ, nisi Deus suâ benignitate dignaretur ea remunerari. Sic affirmârunt Wittembergenses, sic Confessionistæ Augustani, imò etiam Calvinus, & Chemnitius. Hæc ille, (de quibus infrà) ubi Protestantes, ex Pontificiorum ordinibus multos, & consentientes & Advocatos sibi asciscunt.

Veruntamen hîc siste gradum (quæso te) Lector, nè fortè impingas, dum hæsitabundus apud te quæras, in tanto discrimine conflictúq; Authorum, quomodo *Ecclesiam* ipsam *Romanam* impugnare videar. Dico igitur ex hac διακρίσει refelli omnes eos qui *verè* ac *propriè dictum* MERITUM hominum defendant, quod sanè *Romana Ecclesia* palàm fecit in *Concilio Tridentino*, ubi (ut jam didicimus) Anathema eum esse pronunciavit, quisquis negaverit hominis justificati bona opera verè mereri vitam æternam. *Verè* autem, & *Propriè dictum Meritum* omnino fingi nullum potest, quod non (juxta Jesuitarum definitionem accuratissimam) in Justitiæ æqualitate consistat. Súntne igitur qui opus suum bonum vel Meritorium esse credunt? Hi jam corde suo *Venenum* hauserunt. An verò etiam sunt qui, non id credentes, vocem tamen *Meriti* tanquam necessariam usurpent? Isti sanè ore saltem *Venenum* sumpserunt. Propterea nos, per hoc *Antidotum*, Lectoris nostri, non solùm cordis, verùm etiam oris sanitati studuimus.

mus. Sed primo in loco, quid pro Causa sua ex Scripturis obtendant, examinabimus.

EXamen I. ex *Scripturis*, *idque quoad* { 1. *Nomen*. 2. *Sensum*.

SECT. II.

Scripturas alias pro se proferunt & urgent { *Pontificii*. *Protestantes*

I. *Pontificii*.

SCripturæ (inquam) in quibus etiam nomen *Meriti* extare Pontificii somniant. Quid verò? ut Illi *Meritum* κατ' τὸ ῥητὸν in Scripturis reperiant uspiam? priùs *Locusta bovem pariet*, ut est in *Adagio*. Sed quid ego eorum interturbo conatus? *Bellarminus* instat; [t] *Non desunt* (inquit) *Scripturæ testimonia, ubi ipsum nomen vel apertè continetur, vel indè facili negotio deducatur*. Agè igitur, loca profer, quæ Tibi *Apertè* denotare videantur ipsum *Meriti* nomen. *Primus locus* (inquit *Bellarminus*) *est Ecclesiastic.16. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Respondet Calvinus, in Græco textu non haberi nomen Meriti, sed solùm κατ' ἔργα, id est, secundum opera: at illud* [*secundum opera*] *rectè vertitur, secundum Merita*. Dilutum hoc Commentum & prorsus inane, quia in hujusmodi sententiis [κατ'] & [*secundum*] comparatio inter Operationem & Præmii collationem denotatur, non autem Causa Meritoria omnino.

[t] Bellarm. *lib.5. de Justif. cap.2.*

Potest Rex in eos, qui hastiludio præclarè se gesserint, Beneficia ampla, secundum eorum res gestas, conferre, ex mera sua munificentia. Sed de hac phrasi * infrà fusiùs, ubi ea ab Adversariis urgetur vehementiùs. *Infrà sect. 4.

Agit aliter *Bellarminus*; ᵘ *Alius est locus* (inquit) *ad Hebr.13. Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Ubi Græca vox* [εὐαρεστεῖται] *rectissimè vertitur in* [*promeretur:*] *significat enim, Placatur Deus, aut Placetur Deo.* Hæc est ejusdem farinæ placenta. Quasi verò voces hæ, *Placare*, aut *Placere*, necessariò *Meritum* subindicent. Jubet Apostolus, Rom.15.2. ut *Quivis placeat proximo in omnibus*; ergóne singula humanitatis officia, sive gestu, nictu, nutu, risuve præstentur, inter *Merita* numeranda sunt? Imò, impia illa & scelerata *Saltatrix* dicitur *Placuisse Herodi*; an igitur meruit illa *dimidium regni*, aut (multis regnis pretiosius) divinum *Baptistæ caput? Artaxerxes*, cùm illi in via obequitanti *Pauper*, nihil aliud habens, ambabus aquam, è vicino profluente haustam, manibus obtulisset, jucundè accepit, atque arrisit, ait Historicus: nec tamen Pauper *de Condigno* præmium meruit. Denique cùm mancipia faciunt, quod jure, atque etiam sine pacto, maximè debent, Dominis placent; ecquid merentur *de Condigno?* prorsus negabitis. In Vulgata Translatione, Psal.114.9. de *Davide*

ᵘ Bellarm. ibid. § Alius

legitur, [*Placebo Domino in regione viventium:*] quæ verba *Bellarminus* interpretatur de cœlesti regione, extra peregrinationem hanc nostram mortalem; ubi [x] *Sancti* (inquit) *placent Deo omnibus modis: cùm tamen Sanctos beatos* doceat esse *extra statum merendi*. Et ut alibi disertiùs; [y] *Neque peccatores extra gratiam, neq; Beati mereri possunt, sed solùm qui peregrinantur in terris*. Atque ità ex vocabulo [*Placet*] potest Cardinalis concludere, Sanctos mereri, quando mereri non possunt; quod quomodo Pontificiis aliis placeat, ipse viderit.

[x] Bellarm. in *Psal.* 114. *v.*9.

[y] *Idem lib.* 1. *de bonis Operibus, cap.*9.

Idem error facilè cernitur in Objectione vocis [*Placatur:*] quia infantem iratum nutrix lallando, puer patrem lacrymando, facetus quivis Adversarium jocando, aut saltem blandiendo *Placat*, sed Meriti expers tamen. *Phineas* & alii gentis Israëliticæ Proceres indignè ferunt extructum à *Reubenitis* Altare; sed dato ab iis responso, nempe id non *Cultûs*, sed duntaxat *Memoriæ* causâ esse erectum, protinus *Placati* sunt. An verò (dic amabò) ex illo Responso vel guttula ulla Meriti exprimi posset? Ad causam accedam propiùs. Quid enim magìs aut *Placere* aut *Placare* dici potest, quàm quod reddit alium propitium? at *Valentia* Jesuita de Impetratorio Medio, quod à Medio Meritorio in Scholis distingui solet, loquitur: [z] *Peculiari ratione precibus* (inquit) *propitiandi virtus in Scripturis tribuitur, quatenus*

[z] Valent. *Jes. lib.* 1. *de Missa, cap.*5.

nus Beneficia divina, ex misericordia Dei, per illas impetramus. Sic ille. Virtus igitur illa non ex *Condignitate* Operis, sed ex Dei complacentia beneficia obtinet. Adhuc igitur piscati estis in aëre; vox enim hæc, *Meritum*, per totam Scripturam prorsus muta est; de quo tamen non adeò laboramus, modò *Meriti de Condigno* ἀξίωσιν & sensum liquidum ex iis possitis elicere.

Meritum de Condigno, quoad sensum, Pontificii ex Scripturis variis deducere conantur; sed frustra.

SECT. III.

I. *Scripturarum Classis.*

Classis prima Scripturarum, quam objicit *Bellarminus*; [a] *Evidenter* (inquit) *evincitur ex Scripturis. 1. In locis, in quibus invenitur nomen Dignitatis, ut Apoc. 3. Ambulabant in albis, quia digni. Luc. 20. 35. Digni habebantur seculo illo. 2. Thess. 1. 5. Ut digni habeamini regno Dei.* At *Pererius* vestræ Societatis Jesuita primarius, vel tacentibus nobis, ora vobis obstruet. [b] *Pelagiani dicunt* (inquit) *Deum non dare primam Gratiam nisi dignis & merentibus. Quibus respondeo; Digni dicuntur gratiam accipere, non tanquam Condignè eam accipere merentes, sed quia per Dei gratiam facti sunt idonei & habiles, & ritè præparati ad accipiendam Gratiam.*

[a] Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 2. Item Coster. Enchirid. de Meritis, c. 7

[b] Perer. Jes. in Rom. 3. Disp. 16. num. ult.

Gratiam. Sic ille. Eóne verò, Bellarmine, vos angustiarum redactos esse, ut in nos armis utamini *Pelagianis?* nónne vos pudet? Quod igitur *Pererius* vester adversus *Pelagianos*, respectu Gratiæ, id vobis, quoad Gloriam, à nobis responsum putetis; Non quia *Condignè merentes*, sed quia *Habiles & idonei, Digni appellentur.* Quanquam, nè nos ipsi nobis deesse videamur, respondemus; Sanctos *Dignos* apud Deum haberi, non tamen ex dignitate aliqua *Meriti sui*, sed ex misericordi dignatione Dei. Cujus acceptationis exemplum liquidum extat, Act.5.41. *Ibant Apostoli gaudentes, quòd* [κατηξιώθησαν] *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* De quibus verbis *Chrysostomus*; [c] Καταξιωθῆναι γὰρ ὄντως ἐςὶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἀτιμασθῆναι· *id est, Revera dignatio est* (nempe Dei) *eos contumeliam pati pro nomine ejus.* Quam dignationem, &, ut ità dicam, honoris prærogativam, tanquam à peculiari gratia & dono Dei profectam esse, expressissimè docet Apostolus, Philip.1.29. *Vobis datum est, non solùm credere, sed etiam pro ipso pati.*

[c] Chrysost. *in Coloss.* *Hom.*12.

Nos, si vestram patientiam impetrare valeamus, donec causam hanc discutiemus, facilè sentietis Primævæ Antiquitatis Consensum à Papistico sensu *De Merito ex Condigno*, adeò abhorrere, ut nec quenquam Dignum, nec nos quicquam vitâ æternâ propriè *Dignum* operari

operari posse profiteantur. Taceo vos à nostris sæpe doceri, voces has, ἀξιῶν, & ἀξιοῦσθαι, non *Meritum*, sed *Dignationem* significare; æquè ac 2.Thess.1.11. *Cujus rei gratiâ precamur semper pro vobis, ut* [ὑμᾶς ἀξιώσῃ ὁ Θεὸς] *dignetur vos Deus vocatione istâ, & compleat omnem bonitatis suæ* [εὐδοκίαν] *gratuitum beneplacitum & opus fidei potenter.* Ubi singula ferè verba contra dignitatem *Meritorum*, pro Dei *dignatione*, pugnant.

II. *Classis Scripturarum, quæ pro Merito de Condigno objicitur.*

SECT. IV.

CLassis secunda. Objicit *Bellarminus*;[d] *Sunt alia Scripturæ loca, in quibus vitam æternam mereri dicimur: Matth.20.8. Reddet mercedem. Matth.5. Copiosa est vestra merces in cælis.* Disputa; *Merces & Merita sunt Relata: At vita æterna est propriè Merces:* Ergò, *Opera sunt propriè Merita.* Hæc ille pro *Merito de Condigno*; cui consonat illud *Maldonati* Enthymema; [e]*Vita æterna est propriè Merces bonorum Operum: Ergò bonum opus est propriè Meritum.* Cùm Argumentum à *Relatis* objecisti, seriòne & δογματικῶς, *Bellarmine*, an ἀγωνιστικῶς & tentativè disseruisti? Loquere, ut te videam. [f] *Neque Argumenta illa* (inquit) *à Relatione Meriti & Mercedis convincunt: fateor enim omni merito*

[d] Bellarm. *lib.5. de Justif. cap.2 & 3. ut suprà.*

[e] Maldonat. *in eum locum.*

[f] Bellar. *lib. 1. de Justif. cap.21.*

respondere Mercedem, sed sicut certum quoddam donum ex Congruo: ità Mercedem quandam dicimus esse ex Congruo, quæ magìs debeatur ex Gratia, quàm ex justitia. Quæ confessio tua vestrum pro *Merito de Condigno* Argumentum planè jugulat, siquidem Theologis vestris fidem ullam habeamus; de quibus *Costerus* Jesuita, [g] *Catholici* (inquit) *Meritum hoc modo definiunt, ut sit Actio cui merces debetur ex Justitia.* De *Mercede* distinguimus. Alia est Merces *Æqualitatis* & Commensurationis, seu Condignitatis ad opus: & sic *Merces* & *Meritum* correlativa sunt. Sed alia est Merces *Munificentiæ* & Benignitatis, quæ Dignitatem Operis infinitis modis excedit. Sed de hoc multò opportunior erit differendi locus in capitibus sequentibus De *Mercede*; ubi nihil nos de *Mercede* statuere quivis intelligat, quod non erat à Catholicis Patribus antiquitus decretum & definitum.

[g] Coster. Enchirid. Tract. de Meritis, cap. 7.

III. *Classis Scripturarum objicitur pro Merito de Condigno.*

SECT. V.

[h] ALia *sunt loca* (inquit Cardinalis) *in quibus vita dicitur reddi secundum mensuram. Luc. 6. Quâ mensurâ mensi fueritis, eàdem remetietur vobis. Loquitur tam de bonis quàm malis. Et, Reddet unicuique secundum opera, malis*

[h] Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 3.

malis mortem æternam, bonis vitam æternam, *Rom.* 2.6. Eadem est phrasis de utrisque. Cui succinit *Costerus.* [l] *Reddet unicuique secundum opera.*] *Observandum est, Scripturam, quando de Retributione loquitur, eâdem verborum formulâ uti; cùm agit de reddendis præmiis Justo, atque cùm improbis supplicia denuntiat: ut clarè perspiciatur, non minùs nos bonis actionibus æternam felicitatem, quàm malis & flagitiosis æterna supplicia promereri.* Sic ille. Et certè, si eventum *Præmii* & *Supplicii* respicimus, similiter se habent: sin spectemus modum vel Condignitatis operis, ex parte hominis; vel modum divinæ *Justitiæ* Dei, in conferendis *Præmiis, Suppliciisque* exigendis; Illatio hæc parùm distat à blasphemia, ad quam contundendam non opus est aliquâ nostrâ confutatione, cùm præsertim ipsius *Costeri* conscientia (quâ nihil potest esse homini magis adversarium) eum lancinet atque fodicet: nam in eodem Tractatu de *Meritis* veritas ipsa hanc illi confessionem extorsit: [k] *Si considerantur opera* (inquit) *ut à voluntate nostra dimanant, hoc modo quidem peccata impiorum merentur æternis suppliciis vindicari, quia perditio nostra ex nobis, Ose.* 13.9. *Opera verò nostra non merentur æternam gloriam, quòd meritum omne nostrum divinâ gratiâ nitatur.* Et subindè addit; *Bona opera conjunctam habent divinam promissionem mercedis æternæ: & hâc ratione digna sunt præmio;*

[l] Coster. Enchirid. *Tract. de Meritis,* c. 7

[k] *Idem ibid. Sol. ad Ob.* 4.

mio; non quidem suâ naturâ, sed ex pacto Dei. Quamvìs igitur Boni & Mali dicuntur Remunerationem obtinere *secundum Opera*, quoad effectum; tamen in genere causarum duplex discrimen cernitur: Unum, quòd Bona opera non planè nostra sunt, quia Gratia divina operatur in nobis; sic enim Deus, *Auxilium à me*, Ose. 13. (De hac Objectione consulendus est *Augustinus* infrà, Cap. 3. Sect. 1.) Mala verò non nisi nostra sunt; unde dicitur, *Perditio tua ex te*; Ibidem. Alterum verò, quia Opera bona inferioris naturæ sunt, quàm ut cum dignitate divini Præmii comparari possint. Quod nostrum responsum posthac Patrum antiquorum judiciis accuratissimis muniemus. Interea *Augustini* testimonium valde opportunum nullo modo prætermittendum est. [l] *Deus autem in malis hominum merita eorum debitâ retributione persequitur: bona verò per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur.* Sic ille.

[l] Augus. *contra duas Epist. Pelag. lib. 2. cap. 6. in fine.*

Est ubi distinguit *Perkinsius* noster inter Remunerationem Operum bonorum *Secundum opera*, tanquam à benignitate Remunerantis; & Remunerationem *Propter opera*, tanquam ex dignitate Operantis; & statim incurrit in falsam irrisionem *Bishoppi* vestri: [m] *O* (inquit) *acutum hominis ingenium!* Rectiùs in illum nos, O *Cyclopicam* audaciam! qui non videt isthoc suo Sarcasmo, veluti nigro sale, *Gregorium Magnum*

[m] Mr. Bishop *in Tract. Angl adversus* Perkins. *Sect. quæ est de Meritis.*

gnum Pontificem pariter perfricari: sic enim sanctus ille Pontifex: [n] *Quòd si Sanctorum felicitas misericordiâ acquiratur, ubi erit quod scribitur,* [*Reddet unicuique secundum opera ejus?*] *si secundum Opera, quomodo misericordia æstimatur? Sed aliud est Secundum Opera, aliud Propter Opera reddere.* Hoc Romanus iste Pontifex pronunciare non potuisset, si de Meritis Operum ex *Condigno* vel somniâsset quidem.

[n] Gregor. in Psal.7. Pœnit. in illa verba, [Auditam fac, &c.]

Hîc rursus, ut omnis Amphibolia removeatur, distinguendum est de voce [*Secundum*,] quod nonnunquam proportionem qualitatis ex Gratia inditæ denotat, ut secundum bonitatem Operis bonitas Præmii reddatur; quod liberè concedi potest, absque ulla Relatione ad ullum *Meritum*. Aliquando designat (ut jam Pontificii definiverunt) proportionem Æqualitatis Justitiæ, ex *Condignitate* Operis, ad vitam æternam. Quam acceptionem vocis nos non rejicimus modò, sed & detestamur: In quo à Catholicis Patribus consensum testatissimum habemus; qui tum Indignitatem Operis nostri fatentur, tum etiam Supra-dignitatem vitæ cœlestis adstruunt prædicántq;. De quo infrà, Cap.10. & Cap.20. Sect.11.

IIII. *Classis Scripturarum, quæ objicitur pro Merito de Condigno.*

SECT. VI.

Quartam Classem Scripturarum objicit *Bellarminus*; [o] *Ex locis* (inquit) *ubi ratio redditur, cur detur vita æterna: ut Matth.* 21. *Possidete regnum; Esurivi Enim, & dedistis mihi manducare, &c. Et ibidem, Quia fuisti fidelis in paucis, constituam te super multa; intra in gaudium Domini tui. Et Apoc.* 1. *Quia venerunt è tribulatione multa, ideo sunt ante thronum. Respondet Calvinus, In Scripturis illud [Enim] sæpe notam esse Consequentiæ, non Causæ, & sic his in locis, quia Deus priùs voluit bona Opera fieri ab Electis, & postea ejus regnum obtineri. At Christus eodem modo loquitur de Bonorum præmiis, & Malorum suppliciis, [Ite in ignem, non Enim dedistis mihi manducare, &c.]* Nec non *Salmeron*; [p] *Verba sunt clarissima; nam vox, Enim, causalis est, & rationem exponit.* Respondemus, (quanquam *Calvini* responsio per se valeat) Vos, ut *Causalem Condignitatem* pariter in utrisque inesse constet, nunquam profectò efficietis: id quod *Costeri* nupera palinodia satis vos edocuit, qui postquam in idem Condignitatis præcipitium lapsus, *Æquè remunerandi Bonos præmiis, & malos ac flagitiosos suppliciis*, statim tamen latum discrimen agnovit ex parte Causæ, quòd nimirum dignitas

[o] Bellarm. lib. 5. de Justif. cap. 3.

[p] Salmeron Com. in Gal Disp. 15.

dignitas bonorum Operum *divinâ gratiâ nitatur:* E contrà, Malorum supplicia, quanta quanta fuerint, ex ipsorum proprio Reatu illis debeantur. Oportet igitur, velitis nolitis, de causis ipsis distinguere, quia Impiorum *perditio ex se,* & tanquam à Causa solitaria, ideóque purè putè Meritoria supplicii.

At quævis bona opera Justorum sunt Causæ causatæ; acti enim pii à Spiritu Sancto aguntur, ut agant: id quod facile erit nobis discernere in eadem forma judicii novissimi, ubi sententia pronunciatur in impios, *Ite maledicti in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus.* Nempe, Maledictio ut à justo judice, (haud aliter quàm in *Diabolis*) tantùm eorum malitiæ debetur. Altera, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum; cùm enim esurivi, dedistis manducare, &c.* Nunquam profectò daturi illi quicquam, nisi priùs à Deo benedicti; nec postea remunerandi à Deo *Judice*, antequam à Deo *Patre* habiles & præparati facti essent ad Regnum: [κτισθέντες] *creati in bonis operibus*, inquit Apostolus, *Ephes.*2. ad quod ab eo erant prædestinati. Quod, ut par est, si pensitare velimus exactiùs, vah, quot quantásque Benedictiones Patris cœlestis præcessisse reperiemus, (viz. *Electionis, Vocationis, Regenerationis, Sanctificationis, Reconciliationis,* & *Confirmationis in bono*) priusquam æternam hanc *Glorificationis* Benedictionem sortiantur!

Si,

Si, quæ infrà proferentur, Patrum antiquorum Judicia consulere velimus, quivis intelliget Responsum hoc omnino esse Catholicæ veritatis. Interea gustum Lector sumat ex Fulgentio super illa verba, [*Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab initio mundi, &c.*] [q] *Sed & hoc ipsum* (inquit) *opus est Gratiæ: ex Gratia enim datur non solùm justificatis vita bona, sed & glorificatis vita æterna.* In hunc finem, ubi quæstio est, cur dictum erat Bonis, *Venite benedicti Patris mei*; non autem erat dictum Malis, *Ite maledicti Patris mei*; vester *Tostatus Abulensis* respondet, [r] *Quia Benedictio est à Patre, at Maledictionis Deus author non est: & sic apparet in Prædestinatione & Reprobatione; nam ab æterno elegit nos, ut essemus Sancti, Eph.* 1. *ideo non est in nobis, neque ex nobis, id est, in potestate nostra, quòd habeamus bonum illud, sed ex Dei voluntate, Rom.* 9. *Secus in Reprobatione; causa non est ex parte Dei, sed ex se: Benedicti, quia benedictionis Ministrator est Pater; maledictionis autem unusquisque Actor est sibi.* Hæc ille.

[q] Fulgen. ad Momimum *de Prædest.* pag. 18.

[r] Abulens. in *Matth.* 25. qu. 402.

Nec est quòd negotium ullum facessat nobis vox [ENIM] quatenus æquè utrisque inserviat, [*Venite Benedicti, dedistis* ENIM: &, *Ite maledicti, non* ENIM *dedistis:*] quia pro diversitate subjecti diversa esse potest ejusdem dicti ratio: viz. *Venite benedicti, dedistis* ENIM, nempe per gratiam & benedictionem Dei indebitam:

debitam: &, *Ite maledicti, non* ENIM *dedistis*, nimirum, ex voluntatis vestræ pravitate. Nec enim ignoratis, frequenter vocem eandem in eadem sententia variè usurpari in Scripturis. *Qui servabit vitam suam, perdet eam:* ubi vita prior temporalem, posterior æternam denotat. Et 2.Cor.5. *Is qui non novit peccatum*, id est, legis transgressionem, *factus est peccatum*, id est, sacrificium pro peccato. Quæ observatio est apud antiquos Patres admodum familiaris, qui in Commentariis suis sese explicant, æquè ac nunc patuit ex illis verbis, in voce ENIM; tam quoad ITE, quàm quoad POSSIDETE; quam Vulgata Editio perperam reddit nudè [*Possidete*]& non ut est in Græcis[κληρονομήσατε] *hæreditatem habete*. Quæ vox indicat, Regnum Sanctis obtingere *jure hæreditario*, quod excludit prorsus Jus omne Meritorium, ut exactè probatur infrá. Denique differentiæ Ratio hæc esse potest, *Qui in uno offendit, reus erit omnium*, Jac.2.10. Ex uno igitur peccato, licèt in aliis rectè se gesserit, meretur homo mortem: non item ex uno bono opere sequitur eum mereri vitam. Necessariò igitur considerandum est discrimen Subjectorum, ut exempli gratiâ, Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur: qui autem non, damnabitur:* Æquè valet consequentia *Salutis* ex fide unius, atque *damnationis* ex incredulitate alterius. Sed Ratio consequentiæ est mul-

D tùm

tùm diversa: nam damnatio non credentis est ex *Merito*; salus autem credentis ex *Gratia* ac singulari Dei indulgentia.

Alteram vocem [Quia] quod attinet, ut Apoc.7. *Quia venerunt ex tribulatione*, potest subire vicem Consequentiæ, perinde ut illud Christi dictum, Luc. 7.47. *Dico ei remissa esse peccata multa, quia dilexit multùm.* Sic hunc locum intellexit *Calvinus*; & statim vapulat ab *Orbilio Stapletono*; [r] *Miratur Calvinus* (inquit) *nostros Interpretes ità crassè hallucinari, ut dicant hanc mulierem veniam suis lacrymis promeritam. Putidus cavillator! Nemo vel veterum Interpretum, vel recentiorum verbo [Promerendi] usus est.* Bona verba, quæso. Sed agedum, hujus Textûs sensum germanum rimemur: [s] *Calvinus vult nec Meritum, nec causam ullam subsecutæ remißionis fuisse officia, quæ hæc mulier præstitit: sed argumentum, inquit, quo nititur Christus, non à causa, sed ab effectu sumptum est; quia priùs ordine est beneficium accipere, quàm gratias agere: at hic multa dilectio causa erat, non quidem meritoria, sed ad eam disponens. Ineptè & absurdè Calvinus; quicquid hîc Magdalena fecit, adepta jam justitia signa fuisse, ad gratitudinem suam testandam exhibita.* Sic ille. Nullum est certius signum cerebri malè constituti, quàm omne illud in aliis ut *insulsum* reprehendere, quod ad palatum suum non sapiat.

Alii igitur consulendi sunt, quorum sen-

soria

[r] Stapleton. *Prompt.Cathol.in feria 5 post Dom. Pass.*

[s] Stapleton. *ibid.*

ſoria fortè paulò eruditiora fuiſſe videbuntur; imprimis *Toletus* Jeſ. & Cardinalis: [[t] *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm:*] *Id eſt, multa peccata ei remiſſa eſſe, eo ſigno ac argumento manifeſtum eſſe poteſt, quoniam multa ſigna dilectionis erga me oſtendit. Tu enim, Simon, judicâſti, & rectè quidem, cui multum debitum eſt, multùm diligere, ac magìs gratum eſſe erga creditorem oportere. Ubi ergò iſta multa dilectionis ſigna appareant, judicandum eſt, magnam peccatorum ac debitorum remiſſionem. In quibus verbis vox* [QUONIAM] *cauſam ſignificat, non rei, ſed probationis; eſt enim argumentum ab effectibus & ſignis:—— nam ex ſignis dilectionis erga ipſum, quaſi creditorem, exhibitis, deducit mulieri peccata eſſe remiſſa.* Quæ expoſitio (vocem QUONIAM, *non cauſam rei ſignificare*) tam eſt prorſus *Calviniana*, ac ſi ab ipſius *Calvini* Commentario deſumpta verbatim fuiſſet. Quam etiam interpretationem ex *Gregorii Pontificis* judicio & authoritate ſtabilire conatur. *Gregorius* (inquit) *Lib. 6. Epiſt. 22. hæc de Dilectione, quæ ſequitur remiſſionem, interpretatur: illúdq́;* [QUONIAM] *probationem indicare ſentit, quaſi Argumentum ſit ab effectu: ut in hoc demonſtratum ſit, ei remiſſa peccata multa, ex dilectione multa quam oſtendit.*

[t] Tolet. *in Luc. 7. Comment. poſt Annot. 71.*

Nec minùs enucleatè *Salmeron* Jeſuita hanc cauſam diſceptat, tandémque concludit: [u] *Alii* (inquit) *viri docti contendunt, ὅτι, Latinè,* QUO-

[u] Salmeron *Jeſ. Tom. 4. part. 2. Tract. 8. pag. 3.*

NIAM, *non semper significare rei causam efficientem, sed interdum per illam reddi rationem ab effectu: dixit enim Dominus* [*Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa,*] *Et hujus mea affirmationis rationem* (inquit) *ab effectu subdo,* [*Quoniam dilexit multùm.*] *Ex dilectione enim, ut effectu, causam ejus, id est, remissionem peccatorum pracessisse demonstrat; atque hic sensus tum à pracedentibus, tum à subsequentibus comprobatur. Ex pracedentibus, quia dixit,* [*Donavit utrisque*] *& quasivit,* [*Quis ergò eum plùs diligit?*] *Ex subsequentibus etiam sequitur,* [*Cui minus dimittitur, minùs diligit.*] Hæc ille; & pòst, exempla id genus dictionum reddit plurima; v. g. *Cicero doctus est, quia eruditè scribit.* Ex Scriptura, 1. Joan. 3. *Nos scimus quòd translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et Psal. 116. *Ego clamavi, quoniam exaudîsti me.*

Quid quòd ipsa doctrina Pontificia *Stapletoniana* expositioni reclamat? nam, *Nunquam* (teste eodem *Salmerone*) *propter dilectionem ex charitate efficitur remissio peccati; quantum ad culpam.* Locum persimilem Heb. 1. 9. ex Jes. *Ribera*; [x] *Propterea unxit te Deus, &c.*] S. *Thomas affirmat, cùm dicitur* [*Propterea*] *non meritum indicari, sed finem.* Quid multa? ut liberè libentérque vobis demus, ENIM & QUIA esse terminos causales, qui denotant bona Opera esse causam, non modò sine qua non, sed etiam

[x] Ribera *Jes. in Heb. 1. 9. num. 8 3*

etiam operantem: an igitur Meritoriam vestram? Imò cana & veneranda Antiquitas nunquam hoc ſinet; ut eorum teſtimonia infrà paſſim demonſtrabunt.

V. *Claſſis Scripturarum, quæ objicitur pro Merito de Condigno.*

SECT. VII.

QUintam Claſſem Scripturarum objicit *Bellarminus.* [y] *Scripturæ dicunt, bonis operibus præmium ex juſtitia eſſe reddendum, ut* 2.*Tim.* 4.8. [*Coronam mihi reddet juſtus Judex*] *Et Heb.* 6.10. [*Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*] *Item Apoc.* 2. [*Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*] Reſpondeo, quòd ex hac Juſtitia Dei nullâ vi ingenii ratio aliqua *Meriti* extrahi queat; ſiquidem Commentatorem veſtrum *Eſpencæum*, juxtà & *Auguſtinum*, interpretem admittere velitis. [z] *Juſtitiæ genus* (inquit *Eſpencæus*) *eſt præſtare quod promiſeris, quâ ratione Deus ſeipſum nobis quodammodo Debitorem conſtituit, ut ſi non ob merita eum noſtra appellare, ob promiſſa tamen poſſimus. Quòd ſi nos officii noſtri meminerimus, non recuſat injuſtus vocari, ſi minùs præſtet quod pollicitus eſt; hac quidem tum Scholaſtica, tum Eraſmica. Proferam ego* (inquit) *meliora, quæ Auguſtinus hujus loci* (2.*Tim.*4.) *occaſione tractavit. Coronam, inquit, Paulus expoſcit, ex miſeri-*

[y] Bellarm. lib.5. de Juſtif. cap.3.

[z] Claud. Eſpenc. Com. in 2.Tim.4. ubi omnia illa perbibet de Auguſtino, quæ hic

cordia quidem promissam, sed jam ex justitia solvendam: justum enim est ut reddat qui debet; debet autem qui promisit, ex gratia, licèt non ex debito. Et de hac Dei justitia, quæ est Dei promissio, Apostolus hîc velut præsumit, & repetit, certò sciens eum, cui pollicenti credidit, servaturum atque redditurum. Paulò pòst, ex eodem *Augustino*; *Cui enim redderet coronam justus Judex, si non donâsset gratiam misericors Pater?* Deinde pòst; [a] *Coronat Deus in misericordia: constat ergò, quibus misericorditer tribuit, ut in hac vita bene operentur, misericordiùs iisdem largitur, ut in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur: hæc est Gratia, quam pro Gratia esse dandam Apostolus perhibet, Joh. 1. ut quibus in hac vita divinitus datur gratia Sanctificationis, iis ex hac quoque in futura detur gratia æternæ felicitatis.*

[a] *Idem ibid.* Espenc. *ex* D. Gregor. *Papa.*

Utut igitur *Augustinus*, quoties *Meriti* nomen usurpat, Congruitatem aliquam supponere videatur; certè quidem *Condignitatem Operum*, quæ est ex Justitiæ Æqualitate, aversatur vel maximé. Sic enim apud eundem Authorem sequitur, ex *Augustino*; *Si ergò, ô homo, accepturus es vitam æternam, Justitia quidem stipendium est; sed tibi Gratia, cui etiam Justitia (infusa) est Gratia: tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui deberetur.* Necnon *Barradius* Jesuita citans illud *Augustini* in Psal. 109. [b] *Fidelis* (inquit) *Deus, qui se nostrum*

[b] Barrad. *Tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 20. *in Parab. Operar. Vineæ*

strum debitorem esse fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo. Eodem modo *Coloniensis Conc. Antididagma,* in eisdem *Augustini* insistens vestigiis; [c] *Ne existimes hanc Dei coronam justitiæ, quòd suis virtutibus, propter earum dignitatem, debeatur: Corona Justitiæ appellatur, non nostra, sed Dei. Justitia Dei ad eum modum dicitur, sicut dicimus, Domini est salus, non quà salvus est Dominus, sed quam dat iis, quos salvos facit.— Hujus justitiæ, nempe Dei, non suæ, coronam reposcit Paulus; sed vide quà præsumptione reposcit: Scio, inquit, cui credidi, & certus sum quia poßit depositum meum servare. Quia credidit promittenti, fideliter promissum repetit, suum Depositum Dei Promissum appellans; promißum quidem ex misericordia, sed jam ex Justitia persolvendum: Justum enim est ut reddat quod debet, debet autem quod pollicitus est.* Singula ferè verba singulas propriè dicti *Meriti* Assertiones revincunt. In eandem sententiam *Augustini,* Patres alii plurima tradiderunt, ut Cap.9. infrà latiùs probabitur.

[c] Colon.Conc Antididag. fol.133.b.

VI. *Claßis Scripturarum, quam objiciunt Pontificii pro Merito de Condigno.*

SECT. VIII.

SExtam Classem Scripturarum objicit *Bellarminus;* [d] *In multis Scripturis vita æterna promittitur sub conditione Operis boni. Matth.* 19. [*Si*

[d] Bellarm. lib.5.de Justif.cap.3.

[*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*] Et 1. *Tim*.4. [*Pietas est ad omnia utilis, habens promißionem, &c.*] *quam promisit diligentibus se. Et in his; Jac.*1. [*Si feceris: Apoc.*2. *Si viceris, dabo.*] Disputa: *Promissio facta cum conditione Operis non solùm debitam facit rem promissam, ità ut Deus teneatur stare promissis suis: sed etiamfacit, ut, qui opus impleverit, meruisse rem promissam, & eam ut mercedem suo jure exigere dicatur.* An verò *exigere mercedem?* apud *Deum* quoq;? ídque ex *Jure?* atque etiam vi *Promissionis ejus?* Ecquid contrà Protestantes? Dicito. [e] *Objiciunt Adversarii illud,* 1.*Joh*.1. *Si quis confitetur peccata sua, justus est Deus ut remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Sed Remissionem peccatorum, ex omnium confessione, nemo meretur, & tamen justus est Deus ut remittat peccata. Quid ais ? Respondeo; Loquitur Joannes de remissione peccatorum venalium, quæ justo Dei judicio redditur bonis meritis Justorum.* En putidum Commentum! sic enim dixerim potiùs quàm Commentarium. Nam, teste *Aquinate*, [f] *Si peccata confitemur, ut Glossa exponit, peccata scilicet Mortalia.* Atque quodlibet peccatum remissum iri, Textus palàm quodammodo profitetur, viz. [*Emundet nos ab omni iniquitate*] Quid hoc? dicite, *Rhemenses*. [g] *Id est, omni Originali & Actuali, veniali & mortali, culpâ & pœnâ.* Pariter *Arius Montanus*; [h] *Id est, quicunque se peccatorem agnoscit, peccata confessus,*

[e] *Idem lib.* 2.*de Justif. cap.*21.

[f] Aquinas *in eum loc.*

[g] *Colleg.* Rhemens. *Annot.in* 1. *Joan*.1.17. *ex* August. Hieron. Beda, *&c.*

[h] Arius Montan. *in eundem loc.*

fessus, Deum sibi propitium postulabit, qui illi omnia peccata remittet. Idem largitur ex Patribus *Vega*; [i] *Nulla major Justitia est, inquit Hieronymus, quàm ignoscere pœnitenti, & ad misericordiam revertenti sinum misericordiæ aperire. Et D. Augustinus audacter aliquando dixit; Si Deus non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas. Et B. Anselmus; Cùm punis malos, justum est, quia illorum meritis congruit: cùm parcis malis, justum est, non quia illorum meritis, sed tuæ bonitati convenit.*

[i] Vega, Opusc. de Merit. qu. 6. pag. 791. per totam illam sextã quæstionem.

Dein, nè videamur (si eo opus esset) Jesuitarum præsidio destituti, *Estius* suum interponet suffragium; [k] *Justus autem hîc Deus dicitur, non quòd pœnitenti lege justitiæ debeatur peccati venia, quomodo bene operanti debetur merces vitæ æternæ; sed vel hâc ratione, quia servare fidem promissorum pars quædam Justitiæ est.* Sequitur; [*Et ut emundet nos ab omni iniquitate*] *quod potest sumi distributivè: ut sit sensus; Nullam esse iniquitatem tantam, vel numero, vel magnitudine, à qua sanguis Christi nos non emundet, si eam confessi fuerimus.* Objectionum & Refutationum affatim accepimus: nec tamen satìs erit nobis evicisse, non probari ex Scripturis opinionem propriè dicti *Meriti de Condigno*, nisi etiam per sacras literas eam expugnari liquidè appareat; quod in Argumentis nostris passim copiosè appositéque præstabimus. Interea, nè vox Meritum, quoties nobis oc-

[k] Estius in eundem loc.

 currit

currit apud Patres, Causæ nostræ præjudicio esse possit, Adversariorum objectionibus satisfaciemus.



CAP. III.

Objectiones Pontificiorum ex Patribus.

I. THESIS.

Pontificios ex Græcis Patribus violenter extorquere nomen MERITI.

SECT. I.

[1]Bellarm. lib.5.de Justif.cap.4.



INcipit [1] Cardinalis à Græcis Patribus; sed plurimi ex nostris partibus sæpe multúmque conquesti sunt de Pontificiorum Versionibus, ceu improbis, vel ignaris: qui ex *Græcis sententiis bonis reddiderunt Latinas non bonas*, ut hoc pacto saltem nomen MERITI extraherent.

I. Primus Pater ab eo laudatus est *Ignatius in Epist. ad Rom. Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Ubi Græca vox [ἐπιτυχεῖν] quæ est *consequi* aut *adipisci*, Latinè coactè vertitur, *Promereri*.

II. Secundus est *Justinus Martyr Apolog.2.* circa medium, in hunc modum; *Homines se dignos*

Deo

Deo facere, & cum eo victuros meritis suis. In qua Translatione duplex σφάλμα cernitur; 1. *Si se dignos* [ἐκείνε βουλεύματος δι' ἔργων δείξωσι] id est, *Si se ostenderent dignos consilio ejus per opera sua.* At vocem, *Dignum*, nihil aliud plerunque quàm *Habilem* significare, Pontificii nobis suprà largiti sunt, Cap. 2. Sect. 3. Alterum, [τῆς μετ' αὐτοῦ ἀναστροφῆς καταξιωθῆναι] id est, *Ejus conversatione* (nempe Deum) *dignatum iri.* Ergò hoc (inquimus) Deus hominibus indulget ex *Dignatione*, non ex *Debito.*

Ex *Origene lib. 2. in Rom. cap. 2. Pro meritis reddet Deus.* Responsum accepistis à nostris, *Bellarmino* curæ non fuisse, rectámne Translationem sequeretur, an distortam, quia non modò in *Basiliensi*, sed etiam in *Parisiensi* editione postrema, non est [*pro Meritis*] sed tantùm [*pro Operibus.*] Vetus est hæc nostra querela. III.

Chrysostomus Orat. 4. de Lazaro: Boni & mali accipient [κατὰ τὴν ἀξίαν] *id est, prout digni sunt.* Verum est; nam est etiam Dignitas spiritualis in Justis, secundum quam Remunerationem accipient. An verò igitur secundum Æqualitatem Justitiæ apud Deum? Non habetis inter Protestantes magis Adversarium quenquam, quàm se exhibiturus est hic Chrysostomus (Infrà sæpiùs.) IV.

Gregorius Nyssenus in Orat. de amandis Pauperibus. Respondemus, nullum hujusmodi Titulum extare in *Nysseni* libris excusis *Basileæ* V.

Anno 1571. nec igitur Teſtis mutus aliquod Reſponſum mereretur.

VI. Reſpondemus; *Baſilii* & *Nazianzeni* teſtimoniis *Meriti* nomen abeſt; non ſunt igitur ad Rhombum: quanquam ſententia *Nazianzeni* alicujus videatur eſſe momenti. Ait enim *in S. Baptiſma Orat.* 4. ante finem; *Crede reſurrectionem, judicium, mercedem ad juſtam Dei lancem exigendam.* Quod & nos liberè profitemur; ità ut ſi *Hirci* & *Oves*, id eſt, Juſti & Injuſti inter ſe comparentur, Judicium Dei ſumma Juſtitiæ lanx eſt: Sin verò Juſti per ſe ex rigore legis examinentur, ex Æqualitate juſtitiæ cum Deo in judicio non auſint contendere; ſi vel Græcis vel Latinis Patribus credere velimus, ad quos ſæpe ſæpiúſq; provocamus.

II. Thesis.

Ex Latinis Patribus propriè dictum MERITUM DE CONDIGNO Pontificii nunquam potuerunt evincere.

SECT. II.

FAcilè agnoſcimus dicta Patrum: ut *Hilarii, Can.*5. *De noſtro eſſe æternitatem promerendam. Ambroſii, Lib.*1. *Offic.cap.*15. *Evidens eſt, Meritum præmia manere. Auguſtini,* & *Proſperi, Ex Merito juſtitiæ vita æterna acquirenda eſt. Tertulliani, Eſt ordo Meritorum. Cypriani, Juſti-*

tia

tiâ opus est, ut quis Deum promereri possit. Bernardi, Merita habere cures. Sequuntur testimonia, in quibus nulla est omnino mentio *Meriti*; *Hieronymi, Pro labore præmia præparari.* Et *Gregorii* Pont. *In hac vita est discretio operum: post hanc vitam erit discretio Dignationum.*

Ad Testimonia, in quibus voces, *MERITA*, & *MERERI* sonant,

Respondemus; Ex sententiis Patrum, propriè dicti *Meriti de Condigno*, sensum liquidum Pontificii nunquam hactenus potuerunt extundere. Imò huic toxico, de *Merito* ex *Æqualitate Justitiæ apud Deum*, suffragiis suis Orthodoxis Antidotum præscripserunt. Ubi non Metaphoricis dictis, sed claris & perspicuis Asseverationibus dicunt, *Nullum esse Meritum nostrum: Nihil nos dignum facere vitâ æternâ: sed, Eam esse supra omne Condignum nostrum*; & id genus alia plurima, ut infrà copiosè probabimus. Interea impropriæ acceptionis vocabuli *MERITI* apud Antiquos, exempla aliqua exhibemus.

III. Thesis.

Acceptionis impropriæ vocabuli MERITI apud Antiquitatem, fatentibus Adversariis, Instantiæ aliquot.

SECT. III.

INter Adversarios nostros *Vegæ* nomen celebre est apud Pontificios. Is, [m] *Non me fugit* (inquit)

[m] Vega, *lib. 8. de Justif. cap. 8. p. 186*

(inquit) *usurpari apud Patres nonnunquam nomen Meriti, ubi nulla est ratio Meriti, neq; de Congruo, neque de Condigno. Solemus enim dicere, Felices esse eos homines, qui inter cætera animalia hanc gratiam apud Deum meruerunt, ut libertate Arbitrii insignirentur. Et Cyprianus dicit, Infantes plùs mereri divinam Gratiam, quòd in primo nativitatis suæ ortu plorantes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur.* Hæc ille. *Augustinus* etiam (apud *P. Lombardum*) ubi loquitur de Peccato in Spiritum Sanctum, [n] *Hoc solum Peccatum,* inquit, *veniam mereri non potest.* Et rursus; [o] *Nemo peccator* (ait) *de se desperet, quandoquidem Paulus meruit Indulgentiam.* Frequens est in ore omniũ illud *Gregorii* Pontificis dictum de peccato *Adæ*, quod nunc in *Ecclesia Romana* canitur, in *Cerei benedictione: O felix culpa, quæ talem meruit habere Salvatorem!* Sed quid potest esse apud Pontificios magìs familiare, quàm sua Biblia? ubi Vulgatus Interpres hanc suam Translationem evulgavit, Genes. 3. tanquam ex ore *Cain*; *Majus est meum Peccatum, quàm ut veniam mereatur.* Ejusdem furfuris est id, quod in solennibus *Missis* decantatur; [p] *Ut nos qui de qualitate Meritorum diffidimus, non judicium tuum, sed misericordiam consequi mereamur.* Quid ergò sibi volunt hujusmodi acceptiones *Meriti?* sanè nihil aliud quàm *obtinere, consequi, acquirere*, & similia. Quod igitur *Stapletonus* fateri cogitur de Factis ante justificati-

[n] P. Lombard. 2. *dist.* 4.

[o] August. *Serm.* 48. *de Temp.*

[p] *Collect. ut refert* Stapleton. *lib.* 10. *de Justif. cap.* 14.

ſtificationem, id nos præterea etiam de aliis Operibus rectè dici facilè intelligimus: [q] *Quòd ſi aliquis Veterum*, inquit, *vocabulo, Promerendi, uſus eſt, non aliter intellexit quàm Conſecutionem de facto.* Optimè ſanè.

[q] Stapleton. *Prompt. Cath. fer.* 5. *poſt Dom. paſſ.*

Atque ſiquis hujus Interpretationis originem exquirere velit, reperiet uſum hunc ortum ſuum habuiſſe in lingua Latina à Populo Romano, de quo dicitur; —*Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.* Cujus rei Teſtem habemus inſignem illum antiquæ eruditionis cultorem excultorémque *Iſaacum Caſaubonum*, ex *Plinio* ſecundo, in hæc verba; *Ut honorem paucorum expectarent, & mererentur.* Et rurſus; *Sequi enim Gloria, non appeti debet: nec, ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minùs pulchrum eſt.* Hinc clariſſimus noſter Scholiaſtes; [r] *Meruit, eſt,* ἔτυχε *Senſus eſt; Præclara facta, etſi laudatores non inveniant, non ideo minùs eſſe pulchra. Verbum, Mereri, non ſemper* ἀξιοῦσθαι *ſignificare, ſed* τὸ τυγχάνειν, *& factum notare, non jus, notius eſt quàm ut probatione egeat.* Sic ille. Quæ Animadverſio poteſt eſſe nobis λογομαχίας, ſeu Controverſiæ de *Nomine* exquiſita determinatio atque diremptio. Nunc porrò contra *Meritum de Condigno* pugnandum nobis eſt, 1. Ex ſacrarum literarum authoritate: 2. Ex Pontificiorum ipſorum confeſſionibus: 3. Ex Primitivæ Eccleſiæ patrocinio.

[r] Iſ. Caſaub. *Annot. in epiſt.* 18. Plinii *ad* Pompeium, *lib.* 16.

CAP. IIII.

CAP. IIII.

Contra MERITUM DE CONDIGNO, ex Sacris Literis.

SECT. I.

BRevitatis studio loca Scripturarum in compendium reducam, quæ postea à nobis perspicuitatis gratiâ tractanda sunt accuratiús. Sunt autem multifaria: nam, si spectemus principium bene agendi, 1.*Cor*.3. *Quid habes, quod non accepisti?* Si prioritatem donandi, *Rom*.11. *Quis prior dedit, & retribuetur ei?* Si indignitatem Operantis in se, 1.*Joan*.1. *Quisquis dixerit se peccatum non habere, seipsum seducit.* Si defectum operis, *Rom*. 7. 18. *Perficere non invenio.*

Sed ut dignitatem Justi hominis consideremus, Conditio ejus non est Mercenaria, sed Filialis & Hæreditaria; *Joan*. 1. *Quotquot eum* (Christum) *receperunt, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Nihilominus Opus ejus, ex præcepto Dei, debitum; *Luc*.17. *Quod debuimus fecimus.* Nec Deo Remuneratori prodest hilum; *Job*.22. *Quid prodest Deo, quòd justus es?*

Ultimo in loco Æstimatio habenda est Operis, Præmii, & Dei remunerantis. Huc spectant loca sequentia; *Rom*. 8. *Non sunt condigna*

gna afflictiones, &c. Rom. 6. 23. *Vita æterna est donum Dei.* Psal. 102. 4. *Coronat nos Deus in misericordia.* Et 1. Thess. 6. 18. *In omnibus gratias agite.* Harum Scripturarum apices (ut alias omittam) satis per se convellunt opinionē istam de *Merito* ex *Condignitate secundum Æqualitatem Justitiæ apud Deum.* Quod nos insuper duplici genere Argumentorum profligare expugnaréque satagimus: quorum unum est ex Pontificiorum Confessionibus, veluti propriis ipsorum pharetris, deductum: alterum ex Sanctorum Patrum suffragiis, tanquam Antiquitatis armamentario, extractum; nec tam nostris tamen, quàm Patrum ipsorum viribus brachiisq; vibratum.

CAP. V.

Argumentum nostrum primum adversus MERITUM DE CONDIGNO, ex Pontificiorum ipsorum confessionibus; ex parte formalis Rationis ejus, quæ dicitur esse Justitiæ Æqualitas.

Argumentatio.

SECT. I.

Omne *Meritum de Condigno* consistit in *Condignitate Æqualitatis Justitiæ* ad Præmium vitæ æternæ:

Sed nullum nostrum Opus bonum consistit in *Condignitate Æqualitatis Justitiæ* ad Præmium vitæ æternæ:

Proinde nullum Opus bonum est *Meritorium de Condigno.*

Propositionem Adversarii ipsi ultro nobis porrexerunt: *Nihil ampliùs requiritur ad Condignitatem, quàm Æqualitas.* Alteram enim *Commutativam* esse volunt, *Distributivam* alteram. (Suprà, Cap.2. per totum.)

Argumentum nostrum de utraq; persequemur.

Nullum Opus bonum in alterutra Justitiæ Æqualitate consistere.

I. *Non in Commutativa.*

SECT. II.

[f] *Lib. 5. de Justif. cap.14.*

CArdinal. Bellarminus, [f] *Debet Deus*, inquit, *reddere vitam æternam ex Justitia Commutativa, vel Distributiva: Ex Commutativa, quoad substantiam; ex Distributiva, quoad modum.* Sic ille. Nos verò ex diametro, Nec *Commutativa* (inquimus) nec *Distributiva Justitia* propriè intercedit inter Deum & Hominem. Agedùm, sit pedi pes junctus.

1. *Commutativam* aggredimur; de qua Pontificii sensum suum explicant: inter quos Costerus Jesuita, [e] *Commutativa æqualitas est*, inquit, *rei cum re; qualis est in emptionibus, permutationibus,*

[e] *Enchirid. Tract. de Meritis, c.7*

nibus, locationibus: ut, quando merces æquatur operi, aut pretium rei venditæ aut locatæ. Hanc quoque dignam esse censetis, cui *Meritum de Condigno* tribuendum sit: pergit enim Jesuita; * *Justitiæ ratio quâ Deus æternam vitam justis in mercedem operum donat, ad utramq; quidem justitiæ partem aliquo modo pertinet, tum ad æqualitatem operum, tum etiam ad dignitatem personarum.* Bellarminus etiam, quid sibi videatur, significare nobis non gravabitur: [u] *Absoluta æqualitas* (ait) *inter Mercedem & Meritum constituitur per modum justitiæ Commutativæ. Deus judicium exercet per modum Commutativæ justitiæ, cujus est constituere absolutam æqualitatem inter Meritum & Mercedem, ut unusquisq; tantam habeat mercedem, quantam Dei judicio meretur.* Observemus, oportet, Cardinali nullam justitiæ æqualitatem *veram* videri (quæ nimirum constituat *Meritum de Condigno*) nisi quæ sit *absoluta*, quæque *ex Debito Mercedem* (sic enim dixit) *possit exigere.*

* *Quo suprà.*

[u] *Quo suprà* § Modum autem.

Quod Cardinalis decretum Præceptori suo Aquinati prorsus Paradoxon videbatur: nam [x] *Commutativa justitia* (inquit) *non competit Deo; quia dicit Apostolus de Deo, Rom.* 11.35. *Quis prior dedit, & retribuetur ei?* Sic ille. Quem Homerum suum Cardinalis, quoties libitum est, excludit foras. Cui tamen ejusdem familiæ Jesuitæ duo ὑπέρμαχοι occurrunt. [y] *Recentiores nonnulli* (inquit Jesuita Vasquez) *justitiam Com-*

[x] *Part.* 1. *qu.* 21. *art.* 1.

[y] *In* 1.2. *qu.* 114. *disp.* 223. *cap.* 1.

mutativam Deo tribuunt: nos verò ex instituto ostendimus, nullum esse Scholasticum ex antiquis, qui horum Doctorum sententiam sequatur. — *Et isti Commutativa justitia definitionem à nullo hactenus traditam statuunt, ità ut nominis hujus significatum quò velint detorqueant: quod sanè si unicuique liberum esset, nihil firmum, nihil stabile in Theologicis disputationibus haberemus.* Hæc ille. Quærat, si cui libeat, & perscrutetur tria illa Capita, quæ Vasquez in illius doctrinæ refutatione insumpsit, cui potiùs opinioni Valentianus Jesuita adhæreat. [a] *Cùm de Merito vita æterna loquimur* (inquit) *nullus locus est Commutativa justitia.* Deniq; Stapletonus (nè strictam *Æqualitatem justitia* intervenire inter *Deum* & *Hominem* quis putet) [a] *Ratio meriti,* inquit, *non ad Commutativam justitiam pertinet; non est enim opus servile aut mercenarium, sed virtutis & charitatis, qua amicitiam ponit.* Hæc illi, tam doctè támque disertè, ut ulteriori aliquâ nostrâ refutatione pars hæc nullo modo indigeat. Nostrum erit nihilominus rationes ab illis propositas memoriæ tradere. Prima, *Novam* esse hanc *sententiam*, & nullo modo tolerandam. Altera, quòd *repugnat Gratia Dei*; de qua Apostolus, Deus *prior dedit.* Tertia, quòd reddit opera Christianorum *Servilia*, & minimè *Charitativa.*

[a] Greg. de Val. *Tract. de divina Grat. part.* 4. *cap.* 6.

[a] Stapleton. *de Justif. lib.* 10. *c.* 2.

II. *ÆQUA-*

II. *ÆQUALITATEM, in qua ponunt Condignitatem MERITI, non esse secundum justitiam Distributivam.*

SECT. III.

PRo hac Justitia Costerus Jesuita,[b] *Distributiva est*, inquit, *quando non tantùm laboris, sed potissimùm personæ habita est æstimatio: ut, ubi hi duo, Dux & gregarius miles, æquè fortiter in bello se gesserint, præmium redditur amplius Duci, non pro laboris magnitudine, sed pro dignitate personæ. Justitiæ ratio, ob quam Deus vitam æternam justis in mercedem operum donat, etiam ad hanc justitiam pertinet.* Item de Valentia Jesuita; [c] *Meritum est actus bonus, quem Deus secundum justitiam Distributivam compensat.* Hoc est secundum distinctionis Pontificiorum Membrum, ad quod resecandum armis nostris nil opus est; cùm præsertim intelligamus illud jamdudum à Vasque Jesuita contritum esse atque revulsum: [d] *Nos ex Durando & aliis omnibus* (inquit) *qui justitiam Distributivam ex instituto distinguunt, probavimus hujusmodi justitiam propriè non solùm non Deo convenire; sed etiam modum illius ab eo non servari, cùm præmia justis distribuit; quia meritum tunc ex justitia Distributiva locum habet, cùm servatur Æqualitas Geometrica, quam Aristoteles ait esse inter duas personas, & duas res distribuendas: ità ut qualis sit proportio dignitatis inter personas, talis sit inter*

[b] Enchirid. Tract. de Meritis, cap. 7.

[c] Greg. de Val. de div. Grat. part. 4. cap. 6.

[d] Vasquez in 1.2. qu. 114. disp. 223. cap. 4.

ter res quas accepturæ sint. Cùm tamen Commutativa respiciat solùm æqualitatem inter rem & rem, & unius personæ ad aliam; ut, inter debitum & solutionem, inter datum & acceptum; quam æqualitatem Arithmeticam solùm appellant: rectè dicimus, ut ibidem probamus, in Deo distributivam non esse. Pergit Vasquez, &, quæ in contrarium objici solent, convellit. Postea Durandus, & Theologi vestri pedibus ibunt in sententiam nostram,

III. *Probando, nec Commutativam, nec Distributivam propriè Deo erga Homines competere.*

SECT. IV.

AD Doctores vestros rursus provocamus. Costerus Jesuita, qui jamjam utramq; justitiæ æqualitatem amplexus est, pòst tamen, re diligenter atque exactiùs apud se discussâ, veritatis imperio quasi coactus est fateri, quòd [e] *Inter Deum & homines non potest exacta, qualis est inter homines ipsos, justitiæ æqualitas intercedere.* Quod ille rationibus sanis, & verè Theologicis confirmat. 1. *Quia Deus non est ità obligatus.* 2. *Quia factura ipsius sumus, ejúsque sunt omnia nostra.* 3. *Quia aliis innumeris beneficiis nos sibi obstrinxerit.* Progreditur Jesuita feliciter satìs, nisi quòd nonnunquam in nomen hoc *Meritum* impingit. Ex hac

[e] *Quo supra.*

hac confessione superior *Bellarmini defensio, de *Absoluta aequalitate justitiae inter Deum & Homines*, planè labefactatur. * Suprà, Sect.2.

Maldonatus Jesuita suam symbolam adjicit; ubi postquam has Scripturas expendisset exactiùs, viz. Matt. 25. 21. *EUGE BONE SERVE, SUPER MULTA TE CONSTITUAM*, Et Rom. 8. 18. *NON SUNT CONDIGNAE PASSIONES HUJUS VITAE GLORIAE FUTURAE*; [f] *Quid ergò*, inquit, *aliquid accepturi sumus praemii, quod meritò non fuerimus? Minimè id dico: omne enim quod accepturi sumus praemium, aut meriti erimus, aut non erit praemium.* Sic ille. Sed *Meritum* (Deus bone!) quàm jejunum & planè ludicrum! Pergit enim hîc Jesuita: *Sed quia* (inquit) *non ad aequalitatem, sed ad analogiam dantis & accipientis advertendum est, Praemium dicitur esse magis quàm Meritum. Nota est Alexandri vetus historia, qui cùm Poëtae, propter compositum carmen, vim magnam pecuniae jussit dari, isque respondisset, hoc nimium esse Poëtae: subjecit Rex, At hoc Alexandro non est nimium.* Hactenus Maldonatus de Analogia; in qua nullum est Justitiae Aequalitatis vestigium, magìs quàm inter Regis munificentissimi praemium, & carmen Poëtae. Unde vix satis mirari quis poterit Jesuitarum eorum vecordiam, quos non puduit *aequalitatem justitiae* inter humanum *Meritum*, & Dei *Praemium* venditare, cùm adeò

[f] In Matth. 25.14. & 21.

adeò abhorreret Poëta inter suum *Carmen*, & Alexandri *pecuniam* æqualitatem ullam agnoscere; qui accepto præmio, illico exclamavit, *NIMIUM*; quæ est apertissima Analogiæ negatio.

Justitiam *Distributivam* quod attinet, quam definiverunt habere respectum diversarum personarum, quæ diversâ remuneratione compensantur; dicimus eam pugnare contra omnes eas formulas Judicialis Dei processûs, quas Adversarii ipsi hactenus ex Scripturis objectabant ad probandũ suum *Meritum de Condigno*. Quæ, inquam, formulæ non ullam comparationem diversorum, sed duntaxat singulorum Operantium æstimationem designant. Formulæ ab iis propositæ (suprà Cap. 2.) hujusmodi sunt; *Justi vocantur digni remuneratione*; Sect. 2. Et, *Illis reddi præmia secundum Opera sua*; Sect. 4. Et, *Quia bona Opera fecerunt*; Sect. 5. Et denique, *Justè & legitimè certantibus promittitur Corona vitæ*; Sect. 6. Quæ singulæ formæ respiciunt Remunerationem cujusvis justi hominis, pro se & Opere suo, nullâ habitâ relatione ad præmia in alios collata. Scripturæ phrases sunt hujusmodi; *Reddet Deus unicuiq; secundum opera ejus*. Et, *Vincenti dabitur*, nempe, unicuique. Nec dictum esset generaliter, *Venite Benedicti Patris mei, quia fecistis*; nisi judicialiter verum fuisset de singulis, *Quia TU fecisti*, & *TU*, atque ità de reliquis. Cùm igitur

modus

modus nullus sit, nisi ratione rei modificatæ; sequitur, quòd quia nulla est proportio Geometrica & distributiva observanda in Judicio Divino, nullus esse potest Geometricus & Distributivus Remunerandi modus.

CAP. VI.

Argumentum nostrum secundum, adversus Pontificiorum Meritum de Condigno, ex ipsis Pontificiis.

Argumentatio.

SECT. I.


Uicunque Operi deest verum principium omne propriè dictæ Condignitatis apud Deum, illud non potest esse propriè Meritum de Condigno:

At omni Operi bono deest verum omne principium Condignitatis apud Deum:

Ergò nullum Opus bonum dici potest propriè Meritum de Condigno apud Deum.

Quatuor Condignitatis suæ ad vitam æternam Pontificii Principia cuderunt. 1. Quatenus Opus bonum provenit à *libero Arbitrio*. 2. Quatenus à *Spiritu Sancto inhabitante* procedit.

dit. 3. Quatenus ab homine, ut *Christi membro*, proficiſcitur. 4. Quatenus ex *Dei pacto* oritur. Quæ ſingula exploranda jam ſunt, & eventilanda. Illud autem quod alii veluti quintum ſtatuerunt, ſcilicet de *Christo merente pro nobis virtutem merendi*, diſtulimus in Cap. 17. ubi copioſè tractatur.

Adverſus primum Pontificiorum principium Meriti de Condigno, quod eſt liberum Arbitrium.

SECT. II.

DE Opere bono, quatenus procedit ex *libero Arbitrio* in ſtatu Gratiæ, ſic ſtatuit Bellarminus; [g] *Merito merces debetur: debitum verò non oritur, niſi unus dat alteri quod ſuum eſt: nam ſi rem non ſuam, ſed alienam daret, nihil ei deberetur: nihil autem propriè noſtrum, niſi quod pro arbitrio facere poſſumus, vel omittere.* Sic ille. Quem ſummus Scholæ moderator Aquinas aliter multò informabat; qui, ubi loquitur de homine in Gratia conſtituto, [h] *Propter liberum Arbitrium*, inquit, *nulla eſt Condignatio, propter ſummam inæqualitatem, ſed tantùm de Congruo.* Rationem eruditè explicat Bellarmini condiſcipulus, Pererius Jeſuita: [i] *Si conſiderentur humana opera, ſicut ſunt à libero Arbitrio profecta, proculdubio haberent nullam æqualitatis proportionem, vel Condignitatis ad vitam*

[g] *Lib.5. de Juſtif.c.10.*

[h] Aquin. 1.2. *quæſt.* 114.*art.*3.

[i] *In Rom.* 6. *diſp.*11. *num.*54.

vitam æternam: Illorum enim bonitas & præstantia, quam à libero Arbitrio accipiunt, est quiddam humanum & naturale; æterna verò gloria est quiddam æternum & supernaturale: Hàc igitur ratione Bonum opus non est condignum vitâ æternâ. Hæc ille. Imò, etiam ipsius Bellarmini opinione, Liberum arbitrium, per se, non valet ad Meritum de Condigno, absque altero principio Meriti, quod jam proximè sequitur, viz. *Spiritu Sancto.*

Adversus secundum Pontificiorum principium Meriti de Condigno, quod non rectè tribuitur Spiritui Sancto.

SECT. III.

HOc principium Condignitatis Meritoriæ, & sequentia alia obtrudunt nobis Pontificii, ut fucum faciant discipulis suis, quasi suam de Merito opinionem studio efferendi Dei gratiam defenderent; cùm revera non possent magis à Spiritûs Sancti & Christi gratia detrahere; ut ex sequenti disputatione liquidum fiet. Sed ad rem. Jesuita Costerus assertor prodeat: [k] *Si considerentur opera nostra, ut effecta sunt à nobis Dei filiis, atque inhabitante Spiritu Sancto; hâc ratione Æqualitas, verùmque Meritum invenitur inter Opera & Mercedem.* Eodem modo Pererius Jesuita; [l] *Ut proficiscuntur Opera à Spiritu Sancto inhabitante, habent*

[k] *Enchirid. Tract. de Meritis, cap. 7. ob. 4.*
[l] *Quo suprà num. 55. & hoc desumpsit* à Thom 1. 2. *qu.* 114 *art.* 3.

bent profectò dignitatem cum præmio vitæ æternæ. Idem habet Valentia.

Quanquam contra hanc ſententiam cohors quaſi Pontificiorum ſeſe opponunt, citante Vaſque Jeſuitâ, *viz.* Gregorius, Gabriel, Alphonſus de Caſtro, Canonici Colonienſes, Concil. Senonenſe, & Vega; *Quorum opinio fuit* (inquit [l]Vaſquez) *Opera juſtorum in ſe ſpectata, quatenus procedunt ex auxilio Dei, & poſitâ ſanctitate per quam Spiritus in nobis operatur, non habere Condignitatem & relationem meriti vitæ æternæ; ſed tantùm rationem meriti habere petitam à promiſſione & pacto Dei.* Inter citatos Authores Vega, qui Theologus quanti nominis fuerit in Concilio Tridentino, nobis Caniſius Jeſuita tradidit: [m] *Andreas Vega*, inquit, *in Tridentino Concilio doctiſſimos Theologos & ſapientiſſimos Patres differentes audivit: Cùm de Juſtificatione multis eſt menſibus diſputatum, ipſe quidem cum diſputantibus aliis ſua ſenſa ſtudioſiſſimè contulit.* Iſte Diſputator igitur (ſi quis alius) idoneus teſtis videri poſſit, qui judicium proferat Concilii Tridentini, cui ipſe devotiſſimè ſubjecerat ſuum. Ejus nos ſenſum depoſcimus & efflagitamus. Ille, [n] *Scio*, inquit, *non deeſſe Doctores, qui dicunt Opera noſtra eſſe meritoria & condigna beatitudine, propter ſupernaturalem dignitatem Spiritûs Sancti à quo procedunt: verùm omnibus hinc indè penſitatis, adhuc crediderim ea non eſſe Condigna beatitudine.*

[l] Vaſquez in 1. 2. *diſp.* 214. *cap.* 1.

[m] *In Epiſt. Dedic. ante lib.* Vegæ.

[n] Vega *opuſ. de Meritis, qu.* 5. *pag.* 791.

Licèt

Licèt enim major multò sit valor operum nostrorum, ut sunt à Gratia & Spiritu Sancto; tamen adhuc non videtur æqualitas inter ipsa & beatitudinem; & consequenter neque Condignitas: —quo sensu credimus, verè Paulum dixisse, Non esse condignas passiones hujus temporis ad gloriam quæ revelabitur in nobis.

Sed personas mittamus, rationibus concertemus. Bellarminus, ut videatur pro Gratia pugnare, [o] *In opere bono,* inquit, *ex Gratia procedente esse quandam æqualitatem ad præmium æternum, probatur ex Joan. 1. 16. AB EJUS PLENITUDINE ACCEPIMUS OMNES, ET GRATIAM PRO GRATIA: id est, GRATIAM MERCEDIS, pro GRATIA MERITORUM, sive, ut Augustinus loquitur, GRATIAM PATRIÆ, pro GRATIA VIÆ. At inter Gratiam & Gratiam est magna proportio: GRATIAM PRO GRATIA.* Sic ille. Ergóne ex meritoria condignitate operis, secundum æqualitatem justitiæ? Aut hoc probate, aut causâ caditis. A qua opinione Meriti, cùm passim alibi, tum etiam in loco objecto abhorruit Augustinus: [p] *EX EJUS PLENITUDINE OMNES ACCEPIMUS: Pro modulo* (inquit) *nostro, tanquam particulas nostras, ut bene vivamus; sicut Deus partitus est mensuram fidei, quia unusquisq; donum suum habet à Deo: —GRATIAM PRO GRATIA, quando nobis æterna vita reddetur.*

[o] Lib. 5. de Justif. cap. 17.

[p] De Grat. & lib. Arb. cap. 9.

—*Cùm priùs dixiſſet, STIPENDIUM PECCATI MORS: meritò enim STIPENDIUM; quia militia diabolica mors æterna tanquam debitum redditur. Ubi autem potuit dicere, STIPENDIUM AUTEM JUSTITIÆ VITA ÆTERNA, maluit dicere, GRATIA AUTEM DEI EST VITA ÆTERNA: ut hinc intelligeremus, non pro Meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere.* Sic ille. Nihil igitur clarius eſt, quàm, juxta Auguſtini ſententiam, Præmium bonorum operum (quod eſt vita æterna) & Stipendium peccati (nempe æternam mortem) inter ſe, quoad condignitatem Meriti, non minùs diſtare, quàm Non-debitum & Debitum: Nam Stipendium peccati *Debitum* eſſe aſſerit; at Præmium bonorum Operum dicit eſſe *Divinæ miſerationis remunerationem.* Citiùs ergò quis ex ſilice aquam eliciat, quàm ex Gratia Dei propriè dictum Hominis Meritum ex Condigno. Quanquam, genuinam Scripturæ expoſitionem quod attinet, Toletus Jeſuita vobis eruditè reſpondet: [r] *Iſta expoſitio Auguſtini,* inquit, *non mihi viſa eſt conveniens.* Deinde oſtendit Gratiam illam, quæ dicitur, *Pro qua,* & quæ eſt *verè meritoria,* ſignificare Gratiam Chriſto propriam, non in nobis inhærentem. *GRATIAM PRO GRATIA,* [s] *Quia,* inquit, *in ipſius Chriſti gratia gratiam conſecuti ſumus; & per eum ſumus grati facti Deo.*

[r] Tolet. *Card. olim Jeſ. in Joan. 1. Annot. 51*

[s] *Idem Com. in illa verba Annot. 50.*

Deo. Sic ille. Attendite veró; Gratia, quâ grati facti sumus, pura puta Christi est Gratia, non nostra. Sed pergit; *Idem est sensus cum illis verbis, Rom.5.15. MULTO MAGIS GRATIA DEI ET DONUM IN GRATIA JESU CHRISTI IN PLURES ABUNDAVIT: —fuit enim Christus ità Deo gratus, ut suâ gratiâ nobis meruerit & consecutus sit gratiam: —ut ad Ephes.1. GRATIFICAVIT NOS IN DILECTO SUO FILIO: ac si dicat, IN GRATIA SUI FILII NOS GRATOS EFFECIT; hoc est, GRATIAM PRO GRATIA ACCEPIMUS. Et hic est sensus legitimus.* Qualem nimirum Gratiam Paulus prædicat in cap.5. ad Rom. vers. 15. *Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Hîc quoque attentionem vester Toletus adhiberi sibi postulat. [t] *Attende; GRATIAM DEI appellat, quâ nos gratos sibi facit:* (An inhærentem? nequaquam; hanc enim ab illa distinguit) *DONUM verò GRATIÆ, quæ nobis ex gratia infunditur.*

[t] *Com. in Rom.5. Annot.21.*

Ad Augustinum revertamur, ex annotatione Pererii Jesuitæ, *Rom.3.24. JUSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIUS.* [u] *Nomen Gratiæ videtur hoc loco potiùs significare gratuitam Dei bonitatem erga hominem, quàm qualitatem à Deo infusam animæ hominis: & huic quadrat Expositio Augustini; Hæc est Gratia, inquit,*

[u] Perer. *Jes. in hunc loc. disp.16.*

quit, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi esse possint, quæ non meritis redditur, sed gratis donatur; propter quod GRATIA nominatur. Sic ille. Si, ex sententia Augustini, *Gratia nominatur, quia non Meritis redditur;* tum qui *Meritum* suum extollunt, *Gratiam* tollunt. Hinc apparet Bellarminum, prætextu efferendi Gratiam, ad fabricandum Meritum contra Gratiam dimicâsse.

Nos contrà, locum Evangelistæ in Adversarios retorquebimus: *Joan.* 1.16. *De plenitudine ejus accepimus, Gratiam pro gratia.* In quem locum Maldonatus*, *Nemo tantum Gratia habet,* inquit, *quantum Christus; non enim plenitudinem accepimus, sed de plenitudine:* Ergò (inquimus nos) Opera nostra bona, quæ procedunt ex Gratia Spiritûs Sancti, finita cùm sint, non possunt esse infinitæ virtutis ad vitæ æternæ præmium promerendum.

* *In Joan.* 1.16.

Non possum non in Argumentum Bellarmini reflectere, tanquam quod petatur *ab Absurdo:* quia quatenus Gratia est Dei, est donum Dei gratuitum; non igitur implicat, sed planè potiùs excludit Meritum nostrum: quanquam hinc facilè elicimus, quòd Deus (quæ est ejus infinita bonitas) ad mensuram Gratiæ fidei & sanctificationis in *Via,* destinavit nobis mensuram Gratiæ glorificationis in *Patria.*

Adversus

Adversus tertium Pontificiorum Principium Meriti de Condigno, quod adscribunt Christiano, ut Christi membro.

SECT. IV.

ENumerantur à Vasque Authores decem, quos vocat *Catholicos* & *pios*, qui ut Christo in suis Meritis honorem deferrent, dixerunt, [a] *Rationem Meriti nostri esse ex merito Christi, quatenus Christus, tanquam caput in membra, influit & operatur, & meretur: ut quemadmodum Paulus dixit ad Gal.2.20. VIVO EGO, JAM NON EGO, VIVIT VERO IN ME CHRISTUS: ità de Christiano dici possit, MEREOR EGO, JAM VERO NON EGO, SED IN ME CHRISTUS. —Quod ex eo probari potest, quia vulgò dici consuevit, Opera nostra, quatenus aspersa sanguine Christi, (Apoc.7.14.) & à meritis ejus abluta, esse digna tanto præmio.* Hanc tot Doctorum sibi proponit Vasquez sententiam, ut Objectionem solvendam, cui postea satisfacere conatur strenuè; præsertim ex hac parte, quòd [b] *Opera nostra magìs digna esse debent ex eo, quòd Christus est Caput nostrum, & ità nos reputamur eadem persona cum Christo.* Summa responsi ejus hæc est, Merita nostra dici non posse, nisi quatenus opera à nobis ipsis eliciuntur: *Sed hoc modo* (inquit) *quo Cajetanus, Hosius, & alii Theologi tenent, non potest defendi augmentum dignitatis in operibus*

[a] Vasquez in 1.2.Tom 2. disp.214. cap.2. num. 9, 10.

[b] Ibid. cap.7 num.44.

bus nostris; quoniam opera dicuntur dignitatem & valorem accipere à persona à qua proximè procedunt; non autem à persona à qua provenit gratia. Sed cùm persona Christi non elicit opera nostra, minimè accipiunt incrementum dignitatis à Christo, sed ex persona eliciente secundum dignitatem justitiæ & sanctitatis: alioquin sequeretur, Opera nostra esse infiniti valoris, —ad infinitam gloriam merendam. Hæc ille. Et responsum suum dilatat, rémque ipsam accuratè persequitur, quasi illa opinio Meritis nostris repugnet, eò quòd requiratur ad Meritum, ut [c] *Opera suâpte naturâ, & in se, habeant dignitatem suam.*

[c] *Ibid. num.* 45.

Deinceps ad illud, *Meretur in me Christus,* respondet:[d] *Admonet Sotus, non rectè dici Deum mereri in nobis, aut per nos; —quia mereri denotat rationem aliquam obsequii, respectu alicujus à quo meremur. Et, quia Deo nullo modo convenire potest, ut per aliquod obsequium ab alio mereatur, ideo ineptè satis diceretur, Deum in nobis, aut per nos mereri— Hanc partem sententiæ nostræ apertè docet Andreas Vega.* Hactenus Vasquez; qui insuper occurrit Objectioni alteri, de Operibus lotis in sanguine Agni: [e] *Respondemus, Commune illud dictum, OPERA NOSTRA, QUATENUS ASPERSA SANGUINE CHRISTI, SUNT DIGNA TANTO PRÆMIO, intelligendum esse, non ratione favoris, & imputationis meritorum Christi,*

[d] *Ibid. num.* 48.

[e] Vasquez *in* 1.2. *Tom.* 2. *disp.* 214 *c.* 11. *n.* 87.

sti, quæ accedat operibus jam ex gratia factis; —sed quia ex meritis sanguinis Christi datur nobis gratia ad hæc opera, quæ aliàs non daretur.

Adversus quartum Principium Pontificiorum, pro suo Merito de Condigno, de Pacto scilicet.

SECT. V.

HOc est commune Pontificiorum diverticulum, & ad quod plurimi, omni alio fundamento destituti, tanquam ad unicum causæ suæ de Merito propugnaculum, confugiunt. Eò nos illos persequimur. Pro necessitate hujus Principii Meriti de Condigno, ex Pacto Dei, pugnat acriter imprimis Bellarminus; [f] *Sive ex Justitia commutativa*, inquit, *reddat Deus præmia laborantibus, necessaria est promissio; neque enim qui alterius vineam sponte colit, potest mercedem exigere: —Sive ex Justitia Dei distributiva, hinc quoque necessaria est promissio; neque enim debetur præmium velociùs currenti, nisi pactum promissióq; præcesserit.* Hæc ille; ubi eò arrogantiæ Cardinalem pervenisse constat, ut eam justitiam profiteatur, quæ etiam exigat à Deo præmium vitæ æternæ. Andreas Vega, qui in Concilio Tridentino præclarus actor & athleta extitit, cæteris Principiis rejectis, omnis est in hoc uno *de Pacto.*

[f] *Lib. 5. de Justif. c. 14.* § Denique.

I. *Impugnatio ex Theologis Pontificiis.*

SECT. VI.

PLurima Argumenta adfert Jesuita Vasquez ad hanc opinionem refutandam. 1. Asserit, [g] *Quamvis operibus justorum divina promissio accesserit, illam tamen ad rationem Meriti nullo modo pertinere.* 2. Ad suas partes adsciscit Thomam, & aliquot alios Scholasticos. 3. Annumerat tres Theologos, * *qui contra Hareticos hujus seculi,* inquit, *egregiè scripserunt, & in eos, qui dicunt ad rationem Meriti requiri pactum & promissionem, acriter invehuntur.* Objicitur; [h] *Licèt sine pacto opera digna non essent pramio; tamen, cùm exiguntur ex pacto & promissione, & sine illis promissio non esset complenda, ipsâmet promissione videntur effici digna tanto pramio.*

[g] Vasquez in 1.2.Tom 2.disp.214. cap.4.n. 17.

* Ibid.n.18

[h] Ibid.cap. 5.num.25.

Respondet, *Frivolum hoc; quia non per promissionem opus ipsum fit magis dignum re promissâ, quàm in materia Justitia id manifestè apparet. Nam qui promitteret equum pro obsequio, aut pecuniâ exigui valoris, non propterea augeret pretium & valorem pecunia aut obsequii, pro quo illum esset pollicitus* —— * *Ex Matth.20. Cùm Paterfamilias convenit cum operariis in vinea ex diurno denario, non facit laborem ipsorum dignum denario: sed supponit dignitatem operis pro pretio aquali. Ergò dignitas Operum non oritur ex Conventione.*

* Ibid.n.28

Secun-

Secunda Ratio. * *Si Deus comminaretur graviorem pœnam, quàm peccatum suâ naturâ justè postulat, ut leve mendacium æternâ pœnâ puniat: non indè ex ea comminatione veniale peccatum in mortale mutaretur.* *Ibid.n.3.

Tertia Ratio, ab exemplis. [1] *Si sola Promissio reddit opus Meritorium, tum quia Eleëmosynæ promittitur remissio peccatorum, esset ex merito (cùm tamen est ex impetratione) atque ità diceremur nostram justificationem condignè mereri; quod nemo concedet. Deinde Abrahamo promissus est adventus Redemptoris, Gen.22. & tamen nec Abraham, nec Patres antiqui condignè adventum ejus meruerunt.* [1] Ibid.cap.6 num.32.

Huc usque Jesuita. Cujus Rationes sunt adeò per se solidæ & nervosæ, ut replicam nullam admittant. Quanquam non desunt nobis Rationes aliæ, quibus efficitur, Pactum nullo modo inferre Meritum de Condigno. 1. Quia illud ex parte Dei (qui reddit præmium vitæ æternæ) prorsus Gratuitum est, ad quam Remunerationem ille se ex mera gratia obstrinxerat. 2. Ex parte Hominis, opus bonum erat priùs Deo ex legali Pacto debitum. 3. Quia leve & umbratile obsequium Deus (qualis est *calix aquæ frigidæ*, pauperum largitio) immensâ vitæ æternæ remuneratione compensat. 4. Quia si Deus concessisset dispositionibus ante justificationem promissionem vitæ æternæ; istæ tamen dispositiones, faten-

fatentibus adversariis, non fierent Meritoriæ de Condigno. 5. Quia opus propriè dignum vitâ æternâ redderet Deum homini propriè obligatum, & accipientem bonum quid ab homine, ac non modò acceptantem. Quas singulas Rationes in sequenti dissertatione sparsim persequemur infrà.

II. *Impugnatio ex Scripturis.*

SECT. VII.

NObis operæ-pretium videtur aliquid auctarii vice per nos attexere. 1. *Joh.* 1.9. *Si confitemur peccata nostra, justus est Deus, ut remittat nobis peccata.* 1. *SI* confitemur: En Pactum. 2. *Justus est Deus:* Ergò ex justitia præstandum. 3. Si *confitemur:* non autem confitetur quis, ut debet, nisi volens; & id, ut vos interpretamini, ex libero arbitrio: nec ulla fit syncera confessio absque operante gratia Spiritûs Sancti. An igitur indè propriè dictum Meritum infertur? Cardinalis ipse hoc negat. Ecqua ratio? [k] *Non est* (inquit) *Meriti dignitas in Confessione peccati.* Sed respondet, *Spiritum Sanctum non esse in confitente inhabitantem.* An igitur in nullo confitente omnino Spiritus Sanctus residet? Mirus hic *καρδιογνώστης*, qui Spiritus Sanctus inhabitánsne sit, an hospitans in corde confitentis, poterit dignoscere. Sed quis spiritus eum hoc docuit? In

[k] Bellarm. l.5. de Justif. cap.5.

In Primitiva Ecclesia adulti, qui candidati erant Baptismi flaminis, priusquam fluminis Baptismo asperſi obsignatique fuerunt, utiq; Spiritum Sanctum inhabitantem experti sunt; quia, ut ait Apostolus, *Qui Spiritum Christi non habet, is non est ejus.* Spiritûs Sancti residentiam omnibus *in abscondito orantibus* deesse non affirmabit Christianus quispiam, præsertim eis qui se viva Christi membra esse suis operibus demonstrant. Κριτήρια hæc, quæ ad Meritum vestrum requiri solent, singula in piè orante inesse probantur; 1. in *Voluntate* orantis: 2. ex *Pacto* Dei cum orante: 3. orantem ipsum *Christi membrum* esse: 4. eundem deniq; *Spiritu Sancto inhabitante imbutum.* Quæratur igitur, Utrùm ex his Meritum propriè dictum colligere necesse sit. Dicito, Stapletone; [l] *Etiamsi* (inquit) *preces nostra non impetrent per modum justitiæ, sed per modum misericordiæ, id quod petimus; ideóque hoc non debitum, sed gratuitum est, quod precibus nostris Deus largitur; ideóque Deus quod oramus sæpe negat: tamen pro debito orandi modo Deum aliquid semper tribuere, manifestè Christi verba affirmârunt.* Hæc ille, & rectissimè quidem. Deus *debito orandi modo* multa concedit orantibus: sed non ex debito tenetur largiri quid nobis, aut ex nostro Merito.

[l] Prompt. Cath. Fer. 4. Cinerum.

Quod Suarez objicit, *Hoc* scilicet *intelligi de operibus onerosis,* futile est. Nam vera con-

tritio

tritio, quæ est dispositio ad justificationem, & non habetur à Pontificiis pro opere meritorio ex condigno, à Patribus inter *opera onerosissima* numeratur: quam propterea Scriptura *mortificationem* nominat, nonnunquam etiam *Crucifixionem hominis veteris*, quæ est pravæ nostræ voluntatis absoluta abnegatio, de qua vel Ethnici testantur, cùm dicunt homines improbos *Vitam suam sæpe malle quàm pravam voluntatem perdere.*

Hîc quoque Patres habemus duces. Chrysost. [m] *Mortifica corpus tuum*, inquit, *& crucifige, & accipias tu Martyrii hujus coronam: nam quod illîc gladius operatur, fecit hîc animi alacritas.* Item Gregorius Pontifex, [n] *Etsi occasio desit*, inquit, *tamen pax nostra habet Martyrium; quia etsi carnis colla ferro non subdimus, carnalia desideria tamen spirituali gladio in mente trucidamus.* Sed superius Pontificiorum Commentum, de quatuor principiis condignitatis Meritoriæ, ab antiquis Patribus abundè refutatur infrá.

[m] *In cap. 6. ad Hebr. Hom. 11.*

[n] Gregor. Mag. *in fine Homil. 3. in Evangelia.*

CAP.

CAP. VII.

Tertium nostrum Argumentum contra Meritum de Condigno, ex Confessionibus Pontificiorum locupletissimis, ex parte Dignationis Dei remunerantis.

SECT. I.

NUllum opus, quod præmium æternæ vitæ obtinet ex bonitate & dignatione Dei remunerantis, potest dici Meritorium de Condigno apud Deum:

At omne opus bonum præmium æternæ vitæ obtinet ex benignitate & dignatione Dei:

Propterea nullum opus bonum est Meritorium de condigno apud Deum.

Majorem Vasquez clarè profitetur in Dictatoria Censura sua de Protestantium doctrina: ° *Operibus bonis* (inquit) *secundum se dignitatem vitæ æternæ negant, sed referunt eorum dignitatem in favorem Dei, & acceptationem per Christi merita: quod nihil aliud est, quàm veram & perfectam rationem Meriti operibus nostris denegare.* Sic ille, & quidem verissimé: quia nullum Meritum quod opus habet Dei acceptatione, potest dici in Condignitate operantis consistere secundum Æqualitatem

° Vasquez *in* 1.2.*Tom* 2.*disp*.214. *Cap*. 5.*n*. 23.§ Quod veró.

tatem Justitiæ apud Deum. Tale igitur Meritum de Condigno esse oportet, quale Adversarii discipulis suis credendum propinârunt. Minoris igitur nobis incumbit probatio.

Contrariam Pontificiorum sententiam à vera Theologia prorsus abhorrere, ex Pontificiis Theologis ostendent ii, qui vel Consequentiis suis labefactârunt, vel etiam ingenuis suis Confessionibus eam rejiciendam esse duxerunt. Vasquez denuo intromittendus est, ut intelligamus, an is, qui antea Protestantes perstrinxit, sustinere velit suos Pontificios Doctores in castris nostris militare: [p] *Si ratio meriti nostrorum operum*, inquit, *provenit ex promissione & acceptatione Dei, efficitur ut justitia, quâ redditur æterna vita bene laborantibus, non attendatur in compensatione:* Item, [q] *Hæretici*, inquit, *ipsi* (sic enim, quæ est ejus erga nos benevolentia, Protestantes appellat) *Æqualitatem hanc in complenda promissione non inficiantur.* Denique expressè dicit, Opinionem hanc *prorsus tollere rationem Meriti.* Hactenus Vasquez: In quem insurgent veteris Scholæ magni nominis Doctores, Scotus, Gregorius, Gabriel, Ockam; qui (fatente eodem Jesuitâ) tradiderunt, [r] *Opera justorum in se spectata, quatenus procedunt ex auxilio Gratiæ Dei, & positâ sanctitate animæ, per quam S. sanctus in justis habitat, non habere condignitatem* &

[p] Vasquez in 1.2. *Tom.* 2. *disp.* 214. *Cap.* 5. *n.* 23. § Primò.

[q] *Idem ibid. num.* 29. §. Circa hanc.

[r] Vasquez *quo suprà, c.* 1. *num.* 2. § Prima.

& rationem meriti vitæ æternæ, sed totam dignitatem & rationem meriti habere petitam à promißione & pacto Dei.

Horum & aliorum sententias (illo tacente, teste tamen Hosio) nos referemus: [r] *Scotus, dist. 17. lib. 1. Sent. docet Meritum esse ultra intrinsecam bonitatem actûs, ex mera gratuita Divina acceptatione.—Et qui sub idem propemodum tempus vixit, Nic. de Lyra, in Esa. 26. Omnia nostra opera, inquit, operatus es in nobis, Domine, quia non sunt meritoria, nisi ex acceptatione Divina; et gratia, per quam sunt acceptabilia, à solo Deo in nobis efficitur. Quem secutus est Gabriel Biel, lib. 2. dist. 22. In eo (inquit) qui dat præmium, requiritur acceptatio actûs eliciti aut imperati, ut præmium justitiæ non innitatur bonitati actûs, quam habet ex bonitate intrinseca & principiis suis naturalibus; sed Divinæ ordinationi, quæ est promissio & pactum. Et in Can. Missæ, lect. 86. Dignum fieri propter promissionem Dei, inquit, ex liberalitate sua, tanquam Dignum, acceptantis: quemadmodum in lib.* * *Hester legimus: HOC HONORE DIGNUS EST, QUEMCUNQUE REX VOLUERIT HONORARE. Stephanus Brulipher (lib. 1. dist. 17.) Scoti sententiam secutus; Nullus actus bonus, quantumvis à charitate elicitus, est dignus vitâ æternâ, ex natura sua; —sed solùm est dignus vitâ æternâ per paßivam acceptationem Dei. Item Greg. Ariminens.* (lib.

[r] *Testimonia hæc habentur apud* Hosium, *cap.* 73. *pag.* 285, & 286.

* *cap.* 6. *vers.* 11.

(*lib. 2. dist. 26.*) *dicit*, *Opera nostra non ex se, sed ex sola gratiosa acceptatione Divina, meritoria esse vita aterna.* Hactenus Hosius Cardinalis.

Ad Vasquem redeamus; qui se testem nobis præbet de prædictis Authoribus quos tunc allegat, qui similiter nullum Meritum admittunt, nisi [a] *ab acceptatione & dignatione Dei proveniens.* Primò Alphonsus de Castro, [b] *Meritum non procedit*, inquit, *ex natura rei, sed ex pacto Dei inito, quo opus factum est aquale pramio: veluti si duobus contendentibus in balistiludio unius hora spatio, Rex promiserit vincenti gemmam, seu mille aureorum summam; non diceretur vincens gemmam illam meruisse.* Sequitur Vega; [c] *Crediderim*, inquit, *non esse inconveniens dicere cum subtili nostro Doctore* (Scoto) *& cum Bonaventura, Richardo, & aliis, Deum debere justis beatitudinem dare ex promissione; NON ENIM EST INJUSTUS DEUS, UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI, Heb. 6. 10. ET expressè Paulus:* [d] *REPOSITA EST MIHI CORONA JUSTITIÆ, QUAM REDDET MIHI JUSTUS JUDEX. Et rursus*, [e] *DEUS SEIPSUM NEGARE NON POTEST. Sed cùm dicimus, Deum debere justis beatitudinem, judicamus hoc non esse ex dignitate operum, sed ex misericordia & benignitate Dei nimia.*

Theologi Colonienses locum proximum occupant,

[a] Vasquez in 1. 2. *Tom.* 2. *disp.* 214. *cap.* 1.

[b] Alphonsus de Castro, *verbo* Meritum.

[c] Vega, *Opusc. de Meritis, q.* 5. *ad tertium.*

[d] 2. Tim. 4. 8.

[e] 2. Tim. 2. 13.

occupant, ubi interponunt (fateor) hoc nomen *Meritum*, sed ita, ut hanc antidoti bolum immisceant, viz. [y] *Quæ tamen Merita ità intelligi debeant, quòd Deus remuneret opera vitâ æternâ ex gratuita dignatione sua clementiæ.* His succedunt Canonici Conc. Coloniensis: [z] *Non veretur Scriptura*, inquiunt, *æternam vitam bonorum operum Mercedem appellare: non ut putemus bona facta nostra digna esse vitâ æternâ, seu deberi illis vitam æternam propter eorum dignitatem: (quis enim tam stupidus est, qui sic sentiat?) sed magìs, quòd Deus fidei nostræ, quam per ejusmodi opera in nobis exercet, vitam æternam gratuitò est pollicitus:* Concludentes tandem cum Theologis Conc. Senonensis, *Locus unicuique*, aiunt, *juxta Meritum operum, non quidem erit ex Condignitate operum*, (*NON ENIM SUNT CONDIGNÆ PASSIONES HUJUS VITÆ GLORIA FUTURA*, *Rom.* 8. 18.) *sed magìs ex gratuita & liberali promissione.* Sic illi. Non ab his abscedit Pighius, Pontificiorum Achilles adversus Lutherum; qui cùm totus noster sit in causa Justificationis, tum de Merito operis sic definivit; [a] *Clementissimus Dominus veluti beneficium sibi impensum acceptat — & tanquam benignus herus servos ad id invitat, propositis pro suo labore præmiis aliquot liberalibus, ad quod sine ullo præmio obligarentur ex sua conditione & officio.*

[y] Coloniens. Antididag. fol. 33. b.

[z] Can. Coloniens. Enchirid. Tit. De Justif. pag. 176. b.

[a] Pighius de Justifi. fol. 80, & 81.

Addemus Fabrum Stapulens. Ferum, Stellam, tres alios in Ecclesia Rom. Autores celebres. Faber; [b] *Remunerationem nequaquam ex operibus nostris debitam esse credimus, sed Dei meram benignitatem: homo homini, ut æquali, potest debere gratiam; Deus autem nemini potest. —— Absit ergò ut apud Deum cogitemus ullum nobis, tanquam debitum, esse Meritum, quantumcunque sanctè & religiosè vixerimus; —quia SERVI INUTILES sumus; imò suprà quàm inutiles, servi quibus nihil debetur, servi qui semper debemus & nunquam solvendo esse possumus, qui dicere possumus, QUOD DEBUIMUS FACERE, NON FECIMUS.* Hæc ille: quæ Inquisitoribus Hispanis minimè arriserunt; idcirco [c] deleri mandârunt. Didacus Stella, qui inter seculi sui Concionatores ferè omnibus præluxit, liberè rotundéque dixit, [d] *nos non mereri beatitudinem de Condigno.* Quod quoque iidem Inquisitores expungi volunt. Joan. Ferus, nemini alteri in eadem facultate secundus; [e] *Nulla nostra opera qualiacunque meritoria sunt, sed Deus ea misericorditer acceptat.* Et hæc verba quoque in eandem spongiam incumbere Inquisitores jubent; peritos scilicet illos Chirurgos imitantes, qui expurgationibus suis sanguinem emittunt sæpius saniorem.

[b] Faber Stap. in Luc. 17. pag. 253.

[c] *Index expurg. Hisp.*

[d] Stella, *in* Luc. *Tom.* 2. *cap.* 17.

[e] Ferus in Joan.

Neotericos duos, quia mihi jam ante oculos obversantur, nullo modo prætermittendos

dos esse duxi, qui de Remuneratione ex Misericordia loquuntur. Jac.2.13. *JUDICIUM SINE MISERICORDIA ILLI, QUI NON FECERIT MISERICORDIAM. MISERICORDIA EXALTAT SE SUPER JUDICIUM.* Estius, [f] *Ex hoc loco concluditur*, inquit, *quod inter Theologos controverti solet, Reprobos non infra meritum, sed secundum exactam & rigidam Dei justitiam puniendos esse: alioqui enim cum aliqua misericordia judicandi essent.—At in verbis proximis, SUPEREXALTAT MISERICORDIA JUDICIUM, id est, Contragloriatur Misericordia Judicio: quasi dicat, Misericordia prævalitura est in judicio: quod intelligitur de Electis, qui omnes cum misericordia judicandi sunt: nam, seclusâ misericordiâ, NON JUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS, Psal.* 142. Hæc ille. Omnis insuper in hoc est vir verè Pontificius Fevardentius: [g] *SUPEREXALTAT MISERICORDIA JUDICIUM: Nullâ aliâ re nititur causa salutis nostræ, quàm misericordiâ, quâ unâ contra severum illius judicium possumus gloriari & exultare. Notandum est, Augustino misericordiam Dei non absque æquitate futuram esse in extremo judicio: in eum enim qui fecit misericordiam, misericordia Dei justa est; ejus enim misericordia non est confusa: nam misericordia est, ut dimittantur peccata; misericordia, ut tribuatur vita æterna. Itaque misericordia*

[f] Estius in eum locum.

[g] Fevardent. in Jac.2,13.

ricordia patet in gratia & præmio: justitia verò in laborum & bonorum operum ratione. Hæc ille; qui porrò in re tam seria *attentionem* exigit; [a] *Attende,* inquit, *quomodo solâ Dei miseratione stet universa salutis nostræ prora & puppis; quando, si exacto suo judicio nobiscum agat Deus, de nobis penitus actum sit. Meritò igitur supplicat Propheta, Psal.* 142. *NON INTRES IN JUDICIUM CUM SERVO TUO, DOMINE, QUONIAM NON JUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS.—Denique misericordia est, quâ solâ possimus in extremo judicio Dei tuti consistere.* Hæc Fevardentius, ore Pontificiorum omnium Scriptor laudabilis.

[a] *Idem paulò pòst.*

Quisquis igitur velit Doctrinam hanc conferre cum Confessione (ex tanta nube Testium) Doctorum & Theologorum Pontificiorum (qui nullum aliud quàm Meritum tantùm ex acceptatione, id est, impropriè Meritorium, profitebantur) quomodo de hac Pontificiorum causâ jam planè conclamatum esse non fatebitur?

CAP.

CAP. VIII.

Argumenta contra Meritum de Condigno, ex Patrum antiquorum testimoniis locupletissimis desumpta.

Primum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, ex parte Operis boni, ut est Dei Donum.

Argumentatio.

SECT. I.

NUllum Donum potest esse propriè Meritorium apud ejus Donatorem:

Sed omne opus bonum, conferens ad salutem æternam, est Dei Donum:

Proinde nullum opus bonum, conferens ad salutem æternam, potest esse propriè Meritorium apud Deum.

Utramque Propositionem ex Scripturis & Patribus comprobatam dabimus.

Probatio

Probatio nostra ex Scripturis, tam Apocryphis, quàm Canonicis.

SECT. II.

RAtio manifesta est; quia nemo Accipiendo mereri dicitur; At *Operari bonum conducens ad salutem*, est *Accipere beneficium à Deo.* Primo in loco operæ erit pretium inquirere in Autorem boni. Autor libri Sapientiæ, cap. 8. 21. *Scivi me non potuisse sapientiam obtinere, nisi Deus dederit: & hoc quoque sapientia erat, scire cujus esset donum.* Nos pariter sapere discamus ex Divinis literis, ex quibus decerpsimus breviusculam seriem bonorum operum, quatenus ad salutem destinantur. Primum, quod requiritur, est *cogitare de bene operando:* quod quidem *cogitare* est bonum acceptum; 2. Cor. 3. 5. *Non sumus sufficientes ex nobis ad cogitandum quicquam, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Secundum est, *ut bonum salutare cognitum credamus:* quod quoque est bonum acceptum; Phil. 1. 29. *Deus dat vobis credere.* Tertium est, *velle quoque id quod credimus:* & hoc pariter datum est; Phil. 2. 13. *Deus dat velle.* Quorsum autem *velle*, nisi (quod quartum est) subinde *operemur?* Apostolus ibidem, *Dat & operari*; atque etiam operari, non solùm *faciendo*, sed & constanter *patiendo*; 1. Cor. 10. 13. *Non patitur nos Deus supra*

vires tentari, sed dat victoriam per Christum Jesum.

Ecquid habent Pontificii quod opponant? Nihil, nisi quòd bonum à nostro libero arbitrio proficiscatur, ex quo *nostrum* dicitur. Sic enim (Cap. 6. Sect. 2.) suprà Bellarminus.

Nos autem; Opus, quatenus bonum, etsi à nostro libero arbitrio sit, tamen non ab eo tanquam *in se libero*, sed quatenus *per gratiam liberatur*, procedit. Ex qua fit, ut non solùm possit homo bonum operari *si velit*, sed etiam *ut velit*; quemadmodum Apostolus docuit. Et indè est quòd omne opus bonum conferens ad æternam salutem per Christum Jesum, sit, quatenus bonum, *spirituale*; quatenus spirituale, *supernaturale*; quatenus supernaturale, *gratuitum*; & quatenus *donum gratuitum*, nihil minùs quàm *Meritorium apud Deum.*

Argumentum superius ex suffragiis Sanctorum Patrum comprobatur.

SECT. III.

EAndem planè Doctrinam Sancti Patres, in Apostolica schola instituti atque edocti, scriptis suis posteritati omni commendârunt: ut [l] Origenes; *EI VERO QUI OPERATUR, MERCES NON IMPUTATUR SECUNDUM GRATIAM, SED SECUNDUM*

[l] *In Rom. 4. pag. 509.*

DUM MERITUM: Sed ego, cùm considero sermonis eminentiam, quòd dicit, SECUNDUM DEBITUM REDDI, vix mihi persuadeo (inquit) *ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat; cùm etiam hoc ipsum, quòd agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. Quod ergò erit debitum illius, cujus gratia præcessit?* Sic ille. Ex quo hoc Enthymema necessariò conficitur: Opus bonum est ex dono Dei; Ergò remuneratio ejus (quæ est vita æterna) non est ex debito, seu Merito nostro.

[k] *In Coloss. 1. Hom. 2.*

Secundus erit [k] Chrysostomus: *Nemo* (inquit) *talem vitæ conversationem ostendit, ut regno dignus esse possit; sed totum Donum est ipsius Dei.* Sic Ille: Nempe, *Donum Dei* tollit *nostrum Dignum.* Non minùs accuratè [l] Hilarius, *Mereri,* inquit, *est ejus qui meriti acquirendi sibi ipsi auctor existit.* Sic ille; qui gratiæ Divinæ ἐνέργειαν in omnibus bonis operibus nostris prædicat; juxta illud Arausicani Conc. Can. 12. [m] *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Et Can. 20. *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo; nulla verò bona facit homo, quæ non Deus præstat ut faciat homo.* Hæc istius Concilii Patres. Deus igitur primus boni operis Auctor, cujus ductu homo Actor.

[l] *De Trinitate lib. 11. pag. 173.*

[m] *Arausican. Conc. 2. Can. 12, & 20. apud Binium.*

Nec minùs appositè exquisitéque Hieronymus,

nymus, [n] *Scimus*, inquit, *nos nihil esse, nisi quod donavit Deus.—Non sufficit quod semel mihi donaverit, nisi semper donaverit: peto ut accipiam;& cùm accepi, rursus peto.* [o] Augustinus ad vivum rem resecat; *Deus coronat dona sua, non opera tua. Apostolus dixit, PLUS OMNIBUS LABORAVI: sed vide quid adjunxerit, NON EGO, SED GRATIA DEI MECUM.* Statim introducit Apostolum quasi in soliloquio apud se dicentem, *EXPECTO CORONAM QUAM DABIT MIHI JUSTUS JUDEX: Sed quare? QUIA AGONEM CERTAVI.--Sed unde certâsti? Unde fidem servâsti? NON EGO, SED GRATIA DEI MECUM.* Hinc ipse Augustinus infert: *Ergò nunquam sis superbus, semper lauda Dominum, noli oblivisci omnes ejus retributiones. Retributio est, cùm peccator vocatus es, ut justificareris: —cùm tibi vires subministrata sunt, ut in finem usque perseverares.—Omnes retributiones ejus noli oblivisci, si vis ut benedicat anima tua Domino, qui coronat te in misericordia & miseratione..* Hæc hi duo Patres; ubi non solùm *primam* justificationem (ut vos vocatis) per remissionem peccatorum intelligunt; sed etiam *secundam* illam quæ in sanctificatione consistit, usque ad ipsam Coronationem quæ est vita æterna, misericordiæ inter retributiones numerant. Denique, est ubi Augustinus sic argumentatur; *Fides non est Meritum, quia est Donum Dei.*

[n] *Ad Ctesiphon. pag.* 253.

[o] *In Psal.* 102.

Vide cap. 17. *Sect.* 12. *infrà.*

[p] Serm. 1. de Annunciatione.

S. [p] Bernardus clavum figet; *Non talia sunt nostra merita,* inquit, *ut propter ea ex jure debeatur vita æterna.* Ex communi confessione Pontificiorum, Merita de Condigno propriè dici non possunt; quia definiverunt Meritum de Condigno esse, *cui vita æterna ex justitiæ æqualitate debeatur.* Denique idem vir Sanctus, (infrà, Cap. 17. Sect. 11.) nobiscum conclusionem nostram disertissimè tenuit; qui vitam æternam bonis operibus deberi ideo negavit, quia *viz.* sunt *Dona Dei.* Præterea, quomodo homo pariter ejusdem boni operis, quà bonum est, Autor haberi mereatur, clarè expediet: [q] *Dei proculdubio sunt munera, tam nostra opera, quàm ejus præmia.* Et infrà, *Verba sunt non mea, sed Apostoli; qui omne, quod bonum esse potest, id cogitare, velle, & perficere, pro bona voluntate attribuit Deo, non suo arbitrio.* Sic ille, in hoc Argumento Athleta strenuus, Deóq; admodum devotus.

[q] Bernard. in Tract. de Gratia & libero arbitrio.

Pontificiorum aliquorum consensus aliquis, si abest, non est inquirendus; si tamen adest, non est respuendus. [r] Capreolus igitur (teste Hosio) Thomæ locum huc adducens, *Opera,* inquit, *nostra bona, pro quanto nostra sunt & à libero arbitrio proficiscuntur, parvi valoris sunt, ut dicit S. Thomas. Si autem loquitur de bonis operibus nostris, prout sunt informata charitate & gratiâ, potiùs sunt opera Dei, quàm nostra.* Sic ille.

[r] In Sent. dist. 15. ad tertiam. Teste Hosio, Confut. opin. contr. pag. 285.

CAP.

CAP. IX.

***Secundum nostrum Argumentum ex Patribus adversus Meritum de Condigno, ex parte Operis boni, ut est* Deo debitum.**

Argumentatio.

SECT. I.



Ullum opus bonum Morale propriè Deo, ex præcepto, debitum, potest esse de Condigno Meritorium apud Deum: Sed omne opus bonum Morale est propriè Deo, ex præcepto, debitum: Propterea nullum opus bonum Morale potest esse propriè de Condigno Meritorium apud Deum.

De Assumptione nulla lis erit. Probanda est Major: primò ex Scripturis.

Probatio ex Scripturis.

SECT. II.

LUc. 17. 10. ait Christus Discipulis suis, *Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*. Quæ verba nobis videntur omnem Meriti bonorum operum opinionem labefactare

labefactare & prorsus tollere. Qui locus quantùm Pontificios torqueat, facilè ex eo cernitur, quòd, ut eludant Lectores, vertunt se in omnes facies; sed ità infeliciter, ut sibi invicem contradicant.

[f] Lib. 5. de Justif. c. 5.

Primò [f] Bellarminus, omnia evadendi latibula inquirens, ait primò, *Dictum esse, INUTILES SUMUS, de iis, qui extra gratiam operantur; ex Ambrosio.* Maldonatus & Salmeron in eum locum, *Dictum esse,* aiunt, *de iis servis qui non sponte & ex charitate operantur.* Sic illi: quamvis Christus jam non nisi servos suos, *viz.* Apostolos, allocutus sit, qui tunc dixerunt ei, *Auge nobis fidem:* nempe eos, qui tunc præ cæteris in gratia constituti erant, &, relictis omnibus, Christum ex charitate sequebantur. Atque semper debet *Protasis* cum *Apodose* convenire.

Secundò ait Bellarminus, *Dici INUTILES SERVOS, nempe Domino suo: sed tamen sibi utiles: ex Beda.* Cui contradicit Maldonatus: *Nam servus ille in Evangelio Domino utilitatem attulit:* (Rectè. Arabat enim, & armenta pascebat totâ die) *Neque concludit Christus, DICITE, SERVI INUTILES SUMUS, quia nihil Deo utilitatis attulimus; sed quia QUOD DEBUIMUS FACERE FECIMUS.* Sic ille: & in eandem sententiam Alphonsus de Castro, Tit. *De Hæresibus.*

Tertiò Bellarminus, *INUTILES dicimur,*

quia

quia nihil fecimus ultra id quod debuimus: atque ità nihil indè petere debemus, ultra mercedem ex pacto adjunctam. Sic ille, tanquam ex Augustino, Sermone tertio *de verbis Domini:* ubi nihil quicquam tale occurrit, nec in ullo istorum Sermonum *de verbis Domini*, qui ibi extant quinquaginta.

Quartò Bellarminus, *Ut exponit Chrysostomus*, inquit, *Non dixit, DICITE, SERVI INUTILES ESTIS, UBI OMNIA FECISTIS: Sed, DICITE, SERVI INUTILES SUMUS; ut humiliter de nobis sentiamus.* Rectissimè Chrysostomus. Cujus testimonio vestra, Bellarmine, arrogantia arrogantissima retunditur.

Sed quæstionem ipsam quod attinet, omnia commenta vestra hactenus sunt fœdæ tergiversationes, ut vim nostri Argumenti effugere possitis; quam idcirco nos latiùs persequemur. Dicimus nos pactum promissionis de mercede ex opere extare, *Si illud fecerimus*; & non separari ab obligatione præcepti, & comminatione pœnæ, *Ni fecerimus.* Ut videre est Matth. 10. 32. de *confitentibus* & *non confitentibus* Christum: Luc. 9. 24. de *vitam expendente*, & (cùm causa exigit) *non expendente* pro Christo: & Rom. 8. 13. de iis qui *mortificant*, & qui *non mortificant* carnem suam: Quæ omnia Consequentiam hanc nostram abunde confirmant: Nempe,

Bona nostra opera, quia sunt simpliciter, ex *præcepto*, Deo debita, non posse ex *pacto* fieri Meritoria. Ut suprà etiam disseruimus, Cap. *6*. Sect. 5. Hactenus ex Scripturis.

Argumentum superius ex antiquorum Patrum suffragiis luculenter comprobatur.

SECT. III.

NOs, ut decuit, antiquos Patres, in hac disquisitione, duces secuti sumus. Primò [t] Cyprianum: *Scripserunt mihi quidam* (inquit) *qui in Ecclesia granditer & gloriosè operati sunt, & opus suum Domino imputaverunt, observantes illud Domini, CUM FECERITIS OMNIA, &c.* Sic Sanctus ille Martyr, de Sanctis primitivæ Ecclesiæ. Secundò [u] Chrysostomum, qui, *Scriptum est*, inquit, *CUM OMNIA FECERITIS, &c. Cùm ergò pecuniam egentibus damus, cogitemus quòd Deus nos priùs sibi fecit obnoxios* (seu obligatos:) *sed & ejus est quicquid distribuimus.* Tertiò [x] Hieronymum: Is, *Hæc hominibus sola perfectio est*, inquit, *si se imperfectos esse noverint: CUM OMNIA FECERITIS, DICITE, SERVI INUTILES SUMUS; QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS.* Quartò [y] Augustinum: Is, in illa verba Christi Joan. 15. 14. *VOS AMICI MEI ESTIS, SI FECERITIS*

[t] *In epist. 27. Ad lapsos.*

[u] *In Rom. 3. hom. 7.*

[x] *Ad Ctesiphon.*

[y] *In Joan. 15. de verbis Dom. Serm. 3.*

RITIS EA, QUÆ MANDO VOBIS, *O magna bonitas Dei*, inquit, *cui cùm pro conditione debeamus reddere obsequia, utpote servi Domino, famuli Deo, subjecti Potenti, mancipia Redemptori, amicitiarum præmia nobis repromittit, ut à nobis obsequia debita servitutis extorqueat. Ut quos nolle servire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus invitare.* Quintò [a] Theophylactum: *CUM OMNIA FECERITIS, &c. Etsi quis omnia mandata fecerit, non debet extolli; nihil enim magni fecit; & væ, nisi fecerit.* Sextò [a] Bernardum: *QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS: Væ enim nobis, nisi fecissemus: hæc est virtus & summa securitas, quando quidem piè vivis, & tamen plùs attendis quæ desunt tibi, quàm quæ quidem obtinuisse videris.* Septimò, [b] Bedæ suffragium non est prætermittendum: *Si homo* (inquit) *ab homine servo, non uniforme, sed multiplex ministerium exigit, nec tamen ei gratiam habet: quantò magìs vos, qui sine me nihil potestis facere, non temporum longitudine laborum merita pensare debetis, sed amore & famulatu spontaneo novis semper studiis augere priora! Itaq. DICITE, SERVI INUTILES SUMUS, &c.* Hæc ille.

[a] *In locum.*

[a] *In Psal.* Qui habitat, &c. *Serm.* 4. *pag.* 678.

[b] *In locum.*

Testimonia tot & tantorum Autorum non tam numeranda sunt, quàm ponderanda. Quorum collectiones, ex verbis Christi, multiplices sunt. Prima, *Ergò bona opera nostra*

ſunt Deo imputanda. Secunda, *Ergò omnia à Deo accepimus.* Tertia, *Ergò imperfectos nos eſſe noverimus.* Quarta, *Ergò major Dei bonitas, quòd nobis ſervis, & omnia ei debentibus, amicitiarum præmia repromittit.* Quinta, *Ergò cùm omnia fecimus, nil magni fecimus; & væ nobis, niſi feciſſemus.* Sexta, *Ergò non laborum Merita penſare debemus.* Per quas Patrum conſecutiones, Bellarmini reſponſis aditus omnis interclusus eſt. Primò, Quia loquuntur Patres de hominibus in ſtatu gratiæ conſtitutis. Secundò, Quia non hîc agitur de ſervo, quatenus eſt ſibi tantùm utilis. Tertiò, Quia nihil etiam de mercede proponitur, quod eſt ultra Meritum: Juxta Chryſoſtomi obſervationem, Nempe, *hæc à Chriſto dicta fuiſſe, ut ſi omnia fecerimus, tamen humiliter de nobis ſentiamus.* Quod per ſe ſolùm cauſam veſtram jugulat. Quæ enim arrogantia arrogantior aut elatior eſſe poteſt, quàm eam jactare Condignitatem meriti, quæ ex *æqualitate juſtitiæ* vitam æternam exigere poſſit apud Deum?

CAP.

CAP. X

Tertium nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, ratione Indignitatis Operantis, *seu etiam* Operis.

Argumentatio.

SECT. I.

NUllus operans, qui itâ in se indignus est, ut, quò opera bona acceptentur, dignatione & misericordiâ Dei egeat, potest Meritum de Condigno ex operibus vendicare apud Deum: Sed quilibet operans, quamvìs sanctissimus, itâ est in se indignus, ut, quò opera sua bona acceptentur, misericordiâ Dei indigeat: Ergò non potest Meritum de Condigno vendicare apud Deum.

Majoris consequentia à Jesuita [c] Vasque conceditur: *Bonis operibus* (inquit) *secundum se dignitatem vitæ æternæ negare, sed referre eorum dignitatem in favorem Dei, & acceptationem per Christi merita, nihil aliud est, quàm perfectam rationem Meriti operibus nostris denegare.* Dignum igitur est hoc nostrum argumentum in

[c] *In* 1. 2. *Tom.* 2. *disp.* 214. *cap.* 5. § Quod vero.

quo elaboremus, ex Scripturarum lumine, ex Patrum antiquorum autoritate, & ex Pontificiorum plurimorum liquida & ingenua confessione.

Probatio ex Scripturis.

SECT. II.

SCripturas, quæ indignitatem etiam Justorum operum indicant atque pronunciant, quisquis sacra Biblia extremis, quod dicitur, labris delibavit, novit esse complures: præsertim, per quas instituitur quilibet Christianus petere delictorum suorum remissionem, & *mendax* esse judicatur, qui dixerit *se non habere peccatum.* Præ cæteris, Scripturæ hæ cum causa nostra sunt conjunctissimæ, Psal. 102. 4. *Deus est qui coronat nos in misericordia & miseratione*; Et Matth. 5. 7. *Beati misericordes, quia misericordiam consequentur.* At Meritum de Condigno, quod consistit in æqualitate justitiæ ad coronam vitæ æternæ, ut eam apud Deum possit exigere in die coronationis, acceptatione & misericordiâ Dei nihil opus habet. Ut hunc nodum diffindat, dissolvátve, duos cuneos adhibet Bellarminus, tanquam ab Augustino mutuò acceptos, ex lib. de Correptione & Gratia, cap. 13.

[d] Bellar. lib. 5. de Justif. cap. 5.

Primus est, [d] *Beatitudinem tribui misericordia,*

non

non quia non est merces vera Meritorum, sed quia ipsa Merita ex Misericordia sunt. Sic ille. Quem Augustini locus ipse, in eodem capite, convincit erroris & ineptitudinis: Cujus verba hæc sunt, *Numerus Sanctorum per Dei gratiam Regno prædestinatus illùc perducetur; adhæret sibi misericordia Salvatoris sui, sive cùm convertitur, sive cùm præliatur, sive cùm coronatur: nam tunc ei misericordiam esse necessariam, Sancta Scriptura testatur, ubi Sanctus David de Domino Deo suo dicit animæ suæ, QUI CORONAT TE IN MISERATIONE ET MISERICORDIA.* Ecce statûs ipsius gratiæ gradus tres: in quibus singulis *Misericordia* requiritur; *Conversionis*, *Prælii*, & *Coronationis*. Et postremus gradus adeò distinctus est ab aliis, ut expressiùs de coronatis tempore novissimo dixerit, *Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam, &c.* Quem non igitur misereat Jesuitæ jam tantis angustiis implicati?

Secundus cuneus est, *Augustinum dicere, præter coronationem Meriti, necessariam esse misericordiam ad remissionem peccatorum venialium, & meritis Sanctorum misericordiam illam esse debitam.* Sic ille, uno partu enixus geminum mendacium. Primum, Quòd dicit Augustinum meminisse *Peccatorum venialium*; quorum nulla est illìc mentio. Secundum, Quòd ait dixisse Augustinum, *Præter corona-*

coronationem, necessariam esse misericordiam ad remißionem peccatorum venialium. Sed non dixit, *PRÆTER coronationem*, sed, *CUM coronatione eam esse necessariam.* Nam de loco Jacobi, *JUDICIUM SINE MISERICORDIA ILLI, QUI NON FECERIT MISERICORDIAM; Ubi ostendit in illo etiam judicio, in quo justi coronantur, injustíque damnantur, alios cum misericordia salvandos, alios sine misericordia damnandos.* Et paulò pòst, *QUIS GLORIABITUR SE MUNDUM ESSE A PECCATO? Ac per hoc etiam illi Dei misericordia necessaria est.* Deinde Augustinus duntaxat ait, *Et tunc pro bonorum operum Meritis* (nempe impropriè sic dictis, ut sæpe ex Augustino & aliis Patribus probavimus cap. 3.) *in ipso judicio, etiam ipsa misericordia tribuetur.* Contrà Cardinalis dicit, *Misericordiam debitam esse bonis operibus.* Cùm tamen Deus, in judicio, sive damnet, sive parcat, justus est. Patres jam ipsi audiendi sunt. Quomodo verò Augustinus velit bona opera esse *Merita*, longè molliori sensu, alius erit differendi locus.

Antiqui Patres causam nostram accuratè defendunt.

SECT. III.

TEstimonia ea duntaxat referemus, quæ necessitatem misericordiæ Divinæ, respe-

ctu justorum, & suorum operum, aut expressè notant, aut æquipollenter inferunt. [e] Cyprianus: *Non sunt condigna afflictiones hujus vitæ ad claritatem, cùm beati erimus, dignatione Dei honorati.* Sic ille. Ubi Primò vox *Honorati* idem atque *Coronati* sonat. Secundò, Altera illa, quâ dicitur hoc Dei *Dignatione* fieri, perinde est ac *Miseratione.* Quas utrasque voces contra Condignitatem Meriti pugnare, Vasquez in oppugnanda hac Protestantium doctrina jam suprà palàm concessit, Sect. 2. [f] Hilarius, *Non ipsa justitia nostra opera,* inquit, *sufficiunt ad perfectum beatitudinis meritum, sed ut misericordia Dei in hac justitia voluntate humanarum demutationum & motuum vitia non reputet.—Spes igitur in misericordia Dei in seculum.* Ejusdem *misericordia* necessitatem supponebat [g] Hieronymus, cùm dixit, *In die judicii nullum opus nostrum dignum reperietur.* Sic ille, qui docuit, *vitam æternam, ut donum, à Dei largitate donari.* Augustinus, licèt hîc ordine posterior, autoritate tamen nemini secundus: Is, in verba Psalmistæ, Psal. 102. *CORONAT TE IN MISERICORDIA ET MISERATIONE,* [h] *Coronat dona sua, non Merita tua.* Paulò pòst, *EXPECTO CORONAM QUAM DABIT JUSTUS JUDEX: Sed quare? QUIA FIDEM SERVAVI. Unde servâsti? NON EGO, SED GRATIA DEI MECUM. Ergò quòd coronaris,*

[e] *Epist. 56. ad Thebaritanos.*

[f] *In Psalm. 51. prope finem.*

[g] *In Isaiam lib. 6. c. 14.*

[h] *August. in Psal. 102.*

naris, misericordiâ ejus coronaris. Noli esse superbus, semper lauda Dominum, & noli oblivisci retributiones ejus. Ubi nullus erit locus alteri Pontificiorum diverticulo, quando respondent, Augustinum loqui de operibus *extra gratiam factis.* Loquitur enim de operibus, quæ vocantur *Dona Gratiæ,* quæque in novissimis Deus *coronabit.* Ut & alibi, [i] *Maluit dicere* (nempe Paulus ad Rom. 6.) *GRATIA DEI VITA ÆTERNA; ut intelligeremus Deum, non pro meritis nostris nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere.* Sic ille. Quibus Merita tam præcedentia Gratiam, quàm consequentia excluduntur: Quia *Perducere ad vitam æternam,* consummationem salutis significat. Uberiorem explanationem judicii Augustini in destinatum locum distulimus, *viz.* Cap. 17. Sect. 11.

[i] *Idem de Gratia & libero Arbitr. Cap. 9.*

[k] Bellarminus per *vitia* intelligi vult *peccata venialia. Quæ* (inquit) *non faciunt hominem injustum.* Et hoc est solenne ejus Κρησφύγετον. Sed cujuscunque coloris vitia fuerint, Hilarius dixit, ea *justitiæ opera non sufficere ad beatitudinis Meritum.* Quod autem non sufficit ad hoc *beatitudinis Meritum,* non potest esse *beatitudinis opus Meritorium de Condigno.*

[k] *Lib. 5. de Justif. c. 6.*

[l] Basilius: *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certârunt, non ob eorum merita*

[l] *In Psal. 114.*

merita factorum, sed de munificentissima Dei gratia. Respondet Cardinalis, in Græcis sic haberi, *Reddendam sempiternam requiem*, οὐ κατ' ὀφείλημα τῶν ἔργων, ἀλλὰ τοῦ μεγαλοδώρου Θεοῦ. Id est, *Non secundum debitum operum, sed secundum Dei munificentissimi*; *ubi deest vox* χάριν, *Gratiam*. Sic ille. Quasi verò verba hæc, *Secundum Dei munificentissimi*, absque adjectione aliqua, non reddant hiulcam orationem: aut, ac si *munificentissimo Deo* non rectissimè respondeat *Gratia*. Quanquam id quoque quod nos premimus & urgemus in verbis Basilii est, quòd negat requiem æternam concedi κατ' ὀφείλημα τῶν ἔργων, id est, *Secundum debitum operum*. Ubi *Debitum operum* atq; *Meritum operum* Synonyma esse quis dubitat? Ubi etiam de *requie sempiterna*, id est, *beatitudine ipsa essentiali*, non de *gradu aliquo accidentali*, apertè loquitur Basilius.

[m] Autor operis imperfecti, sub nomine Chrysostomi, magnæ antiquitatis; *Quomodo sufficiat opus Sanctorum ad salutem aliorum, cùm nec sufficiunt sibi solis ad gloriam illam justo judicio consequendam?* Et [n] Gregorius Magnus, Pontifex; *Si opus virtutis exercuero, ad vitam, non ex meritis, sed ex venia convalesco.* Respondet [o] Bellarminus, *Loquitur S. Gregorius de meritis, quæ sunt in nobis ex nobis.* Sic ille, pro more suo importunè nimis; nam loquitur Gregorius de se, *Si bonum*

[m] In Matt. 25. hom. 52. & 53. pag. 1131.

[n] Lib. 9. Moral. cap. 14.

[o] Lib. 5. de Justif. c. 6.

opus exercuero, cùm jam se sentit esse in statu Gratiæ. Fac autem, ut ità hunc unicum locum expediat Cardinalis; cur tamen alia, eáque apertissima prætervolat? Haud temere est; sensit proculdubio vir catus scilicet, Sanctum [p] Gregorium à nostris partibus athletam stare: *Deus Sanctos coronat ex misericordia, & non remunerat justos propter opera, sed secundum opera.*

[p] *In 7. Psal. Pœniten. in illa verba,* Auditam fac mihi, &c.

Bernardus in hoc Argumento, veluti in latissimo campo, exultat & expatiatur, & judicium suum orthodoxum satìs explicat, tam quoad *Thesin in genere*, quàm quoad *Hypothesin erga seipsum*. In *Thesi* sic, [q] *Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Respondet [r] Cardinalis, *Docet Bernardus vitam æternam non deberi meritis ex jure absolutè, non præsuppositâ Gratiâ & promissione.* Sic ille, qui nunquam exuit Jesuitam, agens sophisticè, confundens ea quæ sunt distinguenda. Quasi verò quia Bernardus supponat nulla esse Merita sine Gratia præveniente, ergò non agat contra Merita post acceptam Gratiam, quibus debeatur vita æterna. Perversè omnino; nam quamvìs vocet opera bona *Merita*; tamen esse ea Merita, quibus, ex Condignitate sua, debeatur vita æterna, nec dixit, nec sensit, nec unquam somniavit; sed contrá. Nam ibidem

[q] *Bernard. Serm. 1. de Annunciatione.*

[r] *Bellarm. quo jam suprá.*

ibidem Bernardus addit, (Advertite) *Necesse est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei.* Hæc est Prima & Præcedens Gratia, quam distinguit à proximo gradu Gratiæ: Sequitur enim, *Deinde, quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse.* Hæc de gratia Adjuvante & Sanctificante: Tandem ad supremum Gratiæ gradum ascendens, dicit, *Credendum esse postremò, quòd vitam æternam nullis potes operibus promereri, nisi gratìs detur & illa.* Sic ille, vir verè sanctus. *Nisi detur ET illa:* quæ particula, *ET*, non caret Emphasi, sed stimulum habet. Nec ità multò pòst, ac si studio illi fuisset sensum suum admodum luculenter exprimere, *Ipse enim*, inquit, *peccata condonat, ipse donat merita* (Hucusque consitentur adversarii; sed adjungit) *& præmia nihilominus ipse redonat.* Sic ille. Quid autem est, *Redonare*, nisi *Novo munere donare?* Idque *nihilominus*, id est, Non obstante quòd priùs Merita donaverat. Ex quo clarissimè patet, per *Merita* se nihil minùs quàm Merita pontificia ex *Condigno* intellexisse, quibus (ut Adversarii adstruunt) vita æterna ex justitiæ æqualitate debeatur, & ab operantibus exigi possit.

[f] Bernardus ad *Hypothesin*, id est, ad seipsum venit: *Meritum meum* (inquit) *miseratio*

[f] *In Cant. Serm.* 61.

tio Domini. Respondet Cardinalis, intelligi, *Merita nostra non esse ex nobis, sed ex Deo;* ut ipse explicat, *Serm. 68. in Cant. MERITA HABERE CURES: HABITA, DATA NOVERIS.* Sic ille. Nos verò potiùs ipsi Bernardo credimus: * *Majorem miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis: meum proinde meritum miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit: quòd si misericordiæ Domini multæ; multus nihilominus ego in meritis sum. Quid si multorum mihi conscius sim delictorum? Nempe UBI ABUNDAVIT DELICTUM, IBI SUPERABUNDAVIT GRATIA.* Sic Bernardus, tantùm de Meritis Christi erga se, in quæ totus recumbit: quæ tamen ausus est Bellarminus interpretari pro defensione etiam Meriti de Condigno ex æqualitate justitiæ apud Deum; qui eâdem operâ lucem transmutet in tenebras.

* Idem ibid.

Ejusdem Argumenti, ex Pontificiorum consensu, confirmatio.

SECT. IIII.

AUtores Pontificios bene multos * antea produximus, qui nobis astipulantes, remunerationem operum bonorum, ex Divina benignitate, acceptatione, dignatione, ac mi-

* Cap. 7. Sect. 2. &c.

sericordia

sericordia obtinendam esse, copiosè & perpugnaciter defenderunt: quem locum, nè sim longus, Lector potest consulere. Jam postquam probavimus bonum omne opus nostrum (modò Divinæ legis trutinâ appendatur) quamvis Deo indignum, tamen *debitum* ei esse; instamus porrò atque urgemus, ex operibus nostris bonis Deum non fieri nobis *debitorem*.

CAP. XI.

Quartum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, *ex parte* Dei remunerantis.

Argumentatio.

SECT. I.

OMne opus propriè meritorium apud Deum, Deum ipsum constituit operanti propriè debitorem: Sed nullum opus bonum constituit Deum operanti propriè debitorem: Propterea nullum opus bonum est propriè meritorium apud Deum.

Major est in confesso apud Adversariorum nostrorum Doctores primarios; qui ad Minorem

norem expugnandam, ingeniorum suorum nervos omnes intendunt. Nam cùm duplex sit debitum: unum *fidelitatis*, ut quis constet promissis suis; alterum *obligationis* ex *rigore justitiæ* ad alium: quorum primum Deo competere Christiani omnes credunt; Pontificii posterius nunc adstruunt atque affirmant, Utpote [u] Suarez Jesuita: *Debitum fidelitatis* (inquit) *nititur promissionis veritate: at debitum, de quo modò agimus, quamvis requirat promissionem, & in ea potissimùm fundetur; tamen operibus commensuratur & proportionatur.* Sic ille. Postea exigens ex hoc merito æqualitatem justitiæ apud Deum, [x] *Debitum justitiæ*, inquit, *est cùm facta est promissio per modum stipendii & mercedis labori debita, ut laborantibus in vinea, Matth. 20. aut per modum bravii & præmii in certamine, ut 1. Cor. 9. & Phil. 3. Cùm igitur conditio in promissione proponitur, jus sibi acquirit justitia, nè quis nobis objiciat, præmium reddi ex debito Fidelitatis solius, contra proprietates verborum justitiæ & Mercedis, quæ in rigore debitum justitiæ requirunt.* Hæc ille, qui præterea doctrinam hanc à Conc. Tridentino approbari autumat.

[u] *In 3. Thom. Tom. 1. disp. 4. Sect. 5.* § Quòd si, &c.

[x] *Idem in opusc. de Divina libertate, Sect. 2. n. 41, & 42.*

Et suppositâ eâdem Dei promissione, eandem justitiæ obligationem urget Bellarminus: [y] *Respondeo*, (inquit) *omnem veram promissionem ferre secum obligationem, & à Deo implendam atque servandam.* Hæc ille; nempe idem ille,

[y] *Lib. 5. de Justif. cap. 6.* § Ad secund. &c.

ille, qui non dubitavit dicere, [a] *Debet Deus vitam æternam meritis nostris secundum justitiam commutativam.* Eámque vocat alibi *justitiam absolutam*, quæ præterea *exigere potest à Deo mercedem.* (viz. suprà, cap. 2. sect. 1.) Item [b] Vasquez: *Meritum est comparatione alicujus præmii obsequium, quod naturâ suâ exigit præmium hujusmodi, tanquam parem gratiam, sibi referri ex grati animi lege, & cui illud præmium, veluti æqualis remuneratio & legitima compensatio, respondet secundum rectam obsequii & mercedis æstimationem.* Istis igitur Doctoribus, modò in disciplinam nos illis tradere velimus, discamus necesse est, Deum ità Meritis hominum obligatum esse, ut *debeat in summo rigore justitia absolutæ opera illa remuneratione vitæ æternæ compensare.* Et illud sanè propriè dictum Meritum requirit & exigit. Nos contrarium evincemus, illis præsidiis nixi, quibus absque Scripturarum violatione, venerandæ Antiquitatis despectu, & melioris notæ Pontificiorum Doctorum irrisione, renitendum non sit.

[a] *Ibid. cap.* 14.

[b] *In* 1. 2. *Tom.* 2. *disp.* 213. *cap.* 5. *num.* 29.

Scripturæ, quæ Pontificiorum Dogmati adversantur.

SECT. II.

Illæ Scripturæ quas præmisimus, ad has tenebras depellendas satis esse possunt: qui-

bus hactenus probavimus, vel omne opus bonum esse *Dei Donum*, (cap. 8.) vel quibus evicimus, omne opus bonum, quamvis ex se *non dignum*, (cap. 10.) *esse tamen Deo debitum*. Quantò magis hoc constabit, cùm ostenderimus nullum opus bonum esse *remuneratione cælesti condignum?* Ab illarum repetitione abstineo, & an Patres in sententiam nostram inclinent periculum faciemus.

Sanctorum Patrum patrocinium, quo Argumentum superius confirmatur.

SECT. III.

SCriptura una (fateor enim) videtur nobis obesse, sed duntaxat videtur; cui, primo in loco, satisfaciendum est, ut facilior & expeditior in reliquis dissertatio nostra reperiatur. 2. Tim. 4. 8. *Relicta est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex.* Quem locum objecit Bellarminus, (suprà, cap. 7. sect. 7.) indéque conclusit, *Operibus bonis præmium ex absoluta æqualitate justitiæ esse reddendum.* Ubi accepit responsum ab Espencæo; *Deum quodammodo Debitorem dici, etsi non ob nostra merita, tamen ob promissa sua.* Quam ille *expositionem Scholasticam* vocat. Deinde Augustini dicta refert; *Justum est ut Deus reddat, quia debet: debet autem, quia promisit; ex gratia, licèt non ex debito.* Hæc singula

gula concludunt pro justitia *Promissionis*; justitiam verò *Condignitatis operum* penitus excludunt. Et quasi doctrina hæc non satis edoceri discive possit, alibi primò monitorem agit: [b] *Nemo de operibus glorietur, quia prò nostra conditione debemus obsequia, ut servi Domino, ut famuli Deo, ut subditi Potenti, ut mancipia Redemptori, &c.* Hîc *homo* debitor esse monstratur, non *Deus*; nisi ut promissor, *debito fidelitatis* duntaxat. Alibi etiam contra superiorem Pontificiorum assertionem arguit: [c] *Tibi* (inquit) *tanquam debita redderetur corona, si ex te esset justitia cui deberetur.* Denique expressissimè contra eam concludit; [d] *Fidelis Deus, qui se nobis debitorem fecit.* Quo verò tandem modo? Dicito, obsecro, Sancte Pater. *Non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.* Sic ille.

[b] *August. de verbis Domini, Serm. 3.*

[c] *Idem Epist. 105. ad Sixtum.*

[d] *Idem in Psal. 109.*

Per aliquot secula ante Augustinum, Doctrinam nostram promulgabat [e] Origenes: *Vix mihi persuadeo,* inquit, *opus aliquod esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat.* Cui accinit Chrysostomus; *Vita æterna non debitum quid nobis, aut merces.* (suprà, cap. 8.) [f] Basilius in iisdem cum aliis sanctis Patribus insistit vestigiis: *Non ut debitum quid vita æterna, aut merces, sed ut donum redditur:* Idem nimirum Basilius, qui dixit (suprà, cap. 8.) *requiem sempiternam non reddi secundum debitum.* Pro nobis stat etiam Beda, in illa

[e] *In Rom. 4. pag. 509.*

[f] *In Psal. 114.*

verba Christi, QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS: [g] *Revera*, inquit, *debuimus; quia NON VENIT MINISTRARI, SED MINISTRARE. Debitores sibi nos fecit, nè nostris operibus confidentes, sed de ejus examine semper paventes, cum Propheta dicamus, QUID RETRIBUEMUS DOMINO PRO OMNIBUS &c.* In hoc Sanctorum Patrum choro concentum suum [h] Bernardus attollit suaviter: *Non enim talia sunt hominum merita, ut propter ea vita aeterna debeatur illis ex jure, aut Deus aliquam injuriam faceret, nisi donaret; nam Merita omnia Dei dona sunt, & homo magis propter ipsa Deo debitor, quàm homini Deus.* Hanc, ut ità dicam, Patrum vernaculam discebat [i] Elias, Gregorii Nazianzeni Scholiastes: *Debemus per Misericordiam mercedem illam intelligere, quam Deus nobis rependit; nos enim, tanquam servi, virtutem debemus, ut optima quaeq; & Deo grata tanquam debitum quoddam exolvamus & offeramus; quippe cùm nihil habeamus, quod non ab ipso acceperimus. Deus autem velut Dominus miseretur, nobis potiùs donat quàm rependit.*

[g] Beda in Luc. 17.

[h] Serm. 1. de Annunciatione: in initio.

[i] In Naz. in orat. 30. de electione Eulalii.

Hactenus ex Patribus, non quòd non interdum dicant Deum *debitorem* esse, sed sensu minimè Papistico illo, quem Pontificii alii sunt commenti; sed nostro, id est, planè Orthodoxo & Catholico, quem nunc defendimus.

dimus. Id quod ex Adversariis nostris, percelebris notæ apud suos,[k] Stapletonus ingenuè fatetur: *Quotiescunque*, inquit, *legitur apud Patres, Deum esse debitorem vitæ æternæ; intelligendum est, sibi, & quoad sua promissa; non autem nobis debitorem esse.* A Patrum antiquorum consensu, quasi ἀπ' ἀνωγαίου, ad Pontificiorum quorundam confessiones, veluti inferius conclave, descendamus.

[k] *Lib. 10. de Justif. cap. 7.*

Pontificiorum nonnullorum confeßiones contra dogma de Deo debitore.

SECT. IIII.

STapletoni de Patrum dictis judicium oppidò opportunum & accommodum accepimus: ejus porrò sententiam propriam expectamus, in qua petimus, ut se verum Theologum præstet, & ex Divinis eloquiis sensum suum proferat. [l] *Hunc sensum*, inquit, *Apostolus expreßit*. 2. *Tim*. 2. 12. *SI SUSTINEBIMUS, ET CONREGNABIMUS: postea subdit*, *ILLE* (Deus) *FIDELIS EST, SEIPSUM NEGARE NON POTEST*. *Et ad Heb*. 10. 23. *TENEAMUS SPEI NOSTRÆ CONFESSIONEM INDECLINABILEM; FIDELIS ENIM EST QUI REPROMISIT*. *Hoc enim sensu Deus debitor est, sed sibi, non nobis; propter promissa sua, non propter dignitatem nostram aut operum*

[l] *Staplet. in loco jam suprà citato.*

rum nostrorum; quæ quamvìs magna sit, tamen quanta quanta est, gratia est, à Deo est. Neque verò in idem recidunt hæc duo, DEUM ESSE SIBI DEBITOREM sensu prædicto, & DEUM NOBIS DEBITOREM ESSE: quia posterior hic sensus videtur ponere debitum meriti sine gratia, vel certè sine gratuita retributione; quod prior sensus non facit. Sic ille. Quâ quidem non poterat graviorem plagam causæ Pontificiæ infligere. Nam definitioni Meriti de *condigno* nihil esse potest repugnantius, quàm negare opera bona remunerationem consequi ex *dignitate* operum, in qua formalis ratio meriti de *condigno* omnino consistit, ut ut Stapletonus *sensum illum* suum novo glossemate molliat. Imò verò etiam de operibus, quatenus ex *Gratia* proficiscuntur, *Absit* (inquit Faber Stapulensis) *ut cogitemus ullum nobis à Deo esse debitum, qui servi inutiles sumus, faciendo quod debuimus: imò suprà quàm inutiles, non faciendo etiam quod debuimus.* (suprà, cap. 8. sect. 6.) Quidni Lutheromastix ille [m] Pighius suum hîc interponat judicium? *Hoc meriti genus,* inquit, *locum non habet inter Deum & homines, cùm illum nobis debitorem nullâ ratione possimus constituere: ut cujus est universum, & quod sumus, & quod facimus, & quod possumus.* Sic ille. Objectionem hanc olim Schola urgebat, viz. *Debitum esse ut merces rependatur.*

[m] *De Justif. Controvers. 2. fol. 80. 2.*

tur. Cui occurrebat Aquinas, asserens, *Deum non effici nobis debitorem simpliciter, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur*. Deinde (teste [n] Vasque) *Thomistæ recentiores concedere nolunt Deum esse nobis debitorem, sed sibi; quia debitum est obligatio quædam ad alterum, obligatio autem semper respicit eum ut superiorem cui quis est obligatus*. Imò & [o] Costerus Jesuita, ac si jam resipisceret, & ad mentem rediret saniorem, *Non est*, inquit, *exacta ratio inter Deum & homines: & hæc ratio est cur Deus nequeat propriè esse debitor*. Idcirco [p] Andreas Vega in hac quæstione exigit à suis sobrietatem: *Oportet*, inquit, *sobriè & religiosè temperare sermones nostros, ut dicentes Deum debere nobis beatitudinem, indicemus hoc non esse ex dignitate operum nostrorum, sed ex Dei nimia misericordia*. Ex his cuivis promptum & proclive erit à definitione Meriti de Condigno irrefragabiliter argumentari: quia Meritum de Condigno est opus, quod *Condignitate suâ exigat* à remunerante præmium, tanquam debitum. Quod quia non potest absque impietate de Deo affirmari, propterea nullum potest esse hominis Meritum de Condigno apud Deum.

[n] *In 1. 2. Tom.2.disp. 215.cap.3. num.10.*

[o] *Enchirid. Tract. de Meritis,c.7*

[p] *Opusc. de Meritis,q.5 pag.794.*

Denique Scripturarum sensum suprà ab Adversariis objectum, ex Scripturis aliis labefactari docebant Pontificii alii: exempli gratiâ;

gratiâ; 1. Joan. 1. *Si quis confitetur peccata sua, justus est Deus ut remittat peccata.* Quænam isthæc justitia est? *Condignitatis* in confitente? An *fidelitatis* in promittente? Estius Jesuita expediet: *Justus hîc Deus dicitur,* inquit, *non quòd pœnitenti, lege justitiæ, debeatur peccati venia; sed quia servare fidem pars quadam justitiæ est.* Sic ille. (suprà, cap. 2. sect. 8.) Quæ est Pontificiorum omnium sententia, æquè ac [q] Vegæ vestri: *Non enim Deus,* inquit, *promisit pœnitentibus veniam, ut mercedem & præmium pœnitentiæ; noverat enim pœnitentiam non esse meritoriam tanti & tam excellentis beneficii: sed pollicitus est veniam, ut donum quoddam eximium & superexcedens omne omnium nostrorum operum pretium.* Hæc Vega. Nec igitur dubium est, quin Bellarmini, Suaris, & aliorum assertiones incumbant in spongiam Borgiæ Jesuitæ, qui numeratur inter societatis Jesuiticæ primos decem: [r] *Est* (inquit ille) *alius error insignis, qui spirituales detinet viros; qui cùm sentiant in se paupertatis, obedientiæ, & cæterarum virtutum desiderium, in eo sibi placent, & quasi à debitore Deo petunt, ut sibi faveat; nec advertunt quanta Deo debeant, à quo hujusmodi desideria habuerant; nec intelligunt non sibi nova deberi beneficia, sed pro acceptis nova se debere officia.* Hæc ille. Sed quàm minimè spirituales dicendi sunt ii, quos error tam insignis

[q] *Opusc. de Meritis, qu. 6.*

[r] *Andreas Scotus edidit vitam Borgiæ, cui assuitur Tractatus qui inscribitur OPUSCULA BORGIÆ, ab Alphonso Dora Jesuitâ emissus: ubi habentur hæc omnia in Sermone Borgiæ in Luc. 19. pag. 564.*

signis occupat, velut morbus Lymphaticus; quámque sit hic morbus *Meriti propriè dicti de Condigno* apud Pontificios Doctores Epidemicus, & planè Sonticus, difficile dictu est.

CAP. XII.

Quintum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, *ex parte Finis Secundarii, viz.* vitæ æternæ, *quatenus est* Dei donum.

Argumentatio.

SECT. I.



Ullum *donum* propriè est ex *Merito de Condigno:* sed æterna vita est *Dei donum:* ergò vita æterna non est ex *Merito de Condigno.*

Major per se patet, quia *donare* est tantùm *liberalitatis.* De Minore contenditur.

Ex Scripturis.

SECT. II.

Rom. 6. vers. ult. *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei est vita æterna, per Christum*

ſtum Dominum noſtrum. Ratio noſtra hæc eſt: Si eadem eſſet ratio Meriti de Condigno *bonorum ad vitam æternam*, quæ eſt *malorum* ad *æternam mortem*; Apoſtolus non ex deſtinato mutâſſet formulam loquendi, vocando mortem æternam *ſtipendium peccati*, vitam autem æternam χάρισμα, *Gratiam*, vel *Donum gratiæ.* Hic pugio in cauſæ ipſius viſceribus inhæret. Interpretationem hujus loci Antiquitatis patrocinio permittamus.

Patrum antiquorum communis interpretatio Pontificiorum gloſſematis repugnans.

SECT. VII.

SEd dum hoc oſtendere conamur, Adverſarii nos interpellant interturbántque objectione illa quam ex Auguſtino, qui, nè nobis nimis ſit mora ſit, audiendus primùm, dein conciliandus eſt nobis. Locus quem ſæpe ſæpiúſque inculcant, hic eſt: [c] *Vide* (inquit) *quàm vigilanter Apoſtolus verba poſuerit, STIPENDIUM PECCATI MORS. Quis non conſequenter & congruentiſſimè addere judicaret, STIPENDIUM JUSTITIÆ VITA ÆTERNA. Et verum eſt, Sicut peccati merito redditur mors, ità merito juſtitiæ tanquam ſtipendium redditur vita æterna.* Hæc ille. *Ità,* inquit, & quidem veriſſimè. Nam ſi eventum ſpectemus, æquè Deus bonos ac malos remune-

[c] *Auguſt. epiſt. 105. ad Sixtum.*

remuneratur, non verò si causam adæquatam utriusque pensitemus, De qua paulò pòst.

Pergit interim Augustinus, enarrans rationem cur Apostolus eandem formam non utrisque adhibeat. *Adversus elationis pestem, inquit Apostolus, STIPENDIUM PECCATI MORS. Rectè STIPENDIUM, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde, nè justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non è contrario retulit, dicens, STIPENDIUM JUSTITIÆ VITA ÆTERNA: sed, GRATIA, inquit, DEI EST VITA ÆTERNA: & hac, nè præter Mediatorem aliqua alia via quæreretur, adjecit, IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO.—O humana non Justitia, sed nomine Justitia planè Superbia!—Cui debetur vita æterna, vera justitia est; si autem vera, non ex te est, DESURSUM EST A PATRE LUMINUM.—QUID ENIM HABES QUOD NON ACCEPISTI? Quapropter, ò homo, si accepturus es vitam æternam, justitia quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia, tibi autem tanquam debita redderetur, si ex te esset justitia cui deberetur.* Hæc Sanctus Pater. Sed verborum ejus cohærentiam quisquis accuratè expenderit, sentiet profectò Papisticum illud *Meritum de Condigno* protinus duabus rationibus profligari.

Agedum igitur, prodeat in medium portentum illud vestrum, scilicet Meritum de Condigno. *Est* (inquiunt, suprà, cap. 2.) *libera actio in æqualitate justitiæ consistens, cui ex condignitate operis vita æterna debetur apud Deum.* Nunc S. Augustinum arbitrum advocamus. 1. Vocat ille quidem operationem bonorum *justitiam*; sed *justitiam* quæ est *Gratia Dei*, quia *non ex te*. Secunda ex priori consequitur in hunc modum: Quamvis *vita æterna sit Stipendium, sed tibi Gratia est*, inquit, *cui tanquam debita redderetur, si ex te esset justitia cui deberetur.* Tale igitur stipendium vocat vitam æternam, quam concludit *non reddi operantibus ex debito*; δὶς διὰ πασῶν dissidens à *Merito de Condigno*, cui (ex Pontificiorum definitione) *vita æterna debetur*, ídque *ex æqualitate justitiæ*; à quo sensu Augustinus totus abhorruit. Propterea sub Sacramento juramenti liceret pio Lectori pronunciare, Augustinianum stipendium non reddi ex Merito de Condigno: Sed præcipuè, quòd alibi [e] Augustinus sese explicans ait, *Cùm posset* [Apostolus] *rectè dicere, STIPENDIUM AUTEM JUSTITIÆ EST VITA ÆTERNA, maluit dicere, GRATIA AUTEM DEI EST VITA ÆTERNA: ut intelligeremus Deum non pro meritis nostris nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere.* Cùm Pontificii, si suæ definitioni constare velint,

[e] *De Gratia & libero Arbitrio cap. 9.*

velint, Auguſtino ex diametro repugnantes, dicerent, *Ut intelligeremus, Deum pro meritis noſtris nos ad vitam æternam, & non pro ſua miſeratione perducere.* Quid multa? Nunquam negâſſet Auguſtinus *ex juſtitia deberi vitam æternam*, ſi cum Pontificiis crediſſet, juſtum æquè mereri vitam æternam, atque impius & ſceleratus meretur, ut *ſtipendium*, æternam mortem. Quanquam nec vox *ſtipendium*, ſi eſſet, neceſſariò inferret Meritum de Condigno. Patres alii abſque ulla hæſitatione nobiſcum iiſdem ferè ſyllabis conſonant, non modò mente conſentiunt.

Quorum primus eſt [w] Origenes, qui indè intelligi docet, mortem æternam dici *ſtipendium peccati*, quia *debitum*; & vitam æternam non dici *ſtipendium*, ſed *donum*, quia *non debitum*. *Bene*, inquit, *Apoſtolus Metaphoram propoſitam ſervat, ut militantibus ſub peccati Rege mortem dicat ſtipendium exolvi: Deum autem non erat dignum ſuis militibus ſtipendium, quaſi debitum aliquod, dare; ſed donum & gratiam, qua eſt vita æterna.*

[w] *In eum locum Apoſtoli.*

Secundus erit Chryſoſtomus, qui ex ratione mutati ordinis verborum obſervat, *ideo vitam æternam non dici MERCEDEM*, ſed *DONUM*, quia *DATA* eſt, non *DEBITA*; ſive hominis liberationem ante juſtificationem, ſive, poſt illam, operum bonorum functionem conſideremus: [x] *Apoſtolus*

[x] *Chryſoſt. in eum locum. hom. 12.*

de bonis verba faciens, non eundem ordinem servavit. Non enim dicit, MERCES BENEFACTORUM VESTRORUM VITA ÆTERNA, sed, DONUM DEI VITA ÆTERNA; ut ostenderet quòd non propriis viribus liberati sint, neque debitum, aut merces, aut laborum sit retributio; sed omnia illa ex Divino munere gratuitò acceperint.

Tertius est Hieronymus, qui mortem, ut *stipendium peccati*, opponi ita vult vitæ æternæ, ut *dono Dei*. Atque *justitia* Dei in improbis opponitur *largitati* & *bonitati* ejus erga pios. [y] *Peccatoribus dabit Deus juxta vias ipsorum, ut ille teneat judicii veritatem: ceterum in Sanctos excedit modum clementia. STIPENDIUM PECCATI MORS; quam recipit peccator juxta vias & opera sua: at justorum virtus fruitur Domini largitate, de qua Paulus loquitur, DONUM DEI EST VITA ÆTERNA.*

[y] *Hieron. lib. 2. in Ezech. in illa verba,* Secundum vias eorum dabo eis.

Quartus est [z] Theodoretus, qui antithesin supponit esse inter mortem, ut mercedem impiorum, & vitam æternam erga pios, ut donum: *Quia peccatum olim regnavit, nunc autem tyrannidem exercet, Apostolus appellat ὀψώνια, STIPENDIA, [MERCEDEM] quæ est TESSERA MILITARIS, 1. Cor. 9. 7. Cùm verò loquitur de vita æterna, quæ redditur justitiæ operibus, non dixit eam esse MERCEDEM, sed GRATIAM; est enim Dei donum vita æterna.*

[z] *In eum locum Apostoli.*

Quintus

Quintus est [a] Theophylactus: *GRATIAM autem, non MERCEDEM, dixit à Deo futuram, perinde ac si dicat, Non enim laborum accipitis mercedem, sed per gratiam hæc fiunt omnia, in Christo Jesu, qui hæc operatur & suscitat.*

[a] *In eum locum.*

Sextus, qui agmen claudit, [b] Fulgentius: *Cur verò mors STIPENDIUM, vita æterna GRATIA DEI dicitur: nisi quia illa REDDITUR, hæc DONATUR?* Sic hi antiqui Patres; nec iis ex tota Antiquitate, quod sciam, Pater ullus adversatur, nè unus quidem. Qui si causam Protestantium consulto defendere voluissent, non potuissent clarius aut disertius sensum nostrum exprimere.

[b] *De Prædest. lib. 1. ad Monymum.*

CAP.

CAP. XIII.

Sextum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, rursus ex parte Finis Secundarii, nempe vitæ æternæ, *quatenus est* hæreditarium donum.

Argumentatio.

SECT. I.

CUjus operis finis non est propriè *merces*, sed *hæreditas*, illud non est propriè *Meritorium de Condigno* apud Deum: sed boni operis finis (scilicet *vita æterna*) non est propriè *merces*, sed *hæreditas*: idcirco ipsum opus bonum non est propriè *Meritorium de Condigno* apud Deum. Adversarii, concessâ Majore, ad Minorem respondent.

Status Quæstionis.

[c] BEllarminus pro Ecclesia Romana, *Certum est*, inquit, *Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. docere vitam æternam filiis dari, per Christum misericorditer promissam, & simul mercedem bonis operibus fideliter ex Dei promissione*

[c] *Lib. 5. de Justif. c. 12.* § Atque hanc, &c.

missione reddendam. Et Can. 32. *Opera illa Meritoria esse declarat, quæ fiunt à justificatis per gratiam Dei, ut sunt viva Christi membra.* Et alibi, *Vita æterna in Scripturis tam sæpe, & fortassis sæpius, dicitur MERCES, quàm HÆREDITAS.* [d] Maldonatus verò plùs satis incalescens, in Protestantes invehitur: *Nisi errore suo cæci essent,* inquit, *sanè intelligerent vitam æternam dici MERCEDEM, quia Servis; HÆREDITATEM, quia Filiis data est.* Sic ille; cui Jesuitæ nimis familiaris est παρὰ χρῆ. Sed ad rem. Nos dicimus vitam æternam, respectu justorum, *hæreditatem* propriè dici: *mercedem* verò non nisi impropriè & latè sumptam. Atque ità *mercedem* dicimus, quatenus est tantùm præmium *munificentiæ*, & remuneratio ex *pacto*, quæ remuneratio est supra *condignum*: propriè verò & strictè ea *Merces* est, quæ est *condignitatis*, & respondet definitioni *Meriti de condigno*; quam verè sentiunt Adversarii consistere in *æqualitate justitiæ & condignitate ad vitam æternam.* Secundùm priorem acceptionem nos admittimus & approbamus: alteram detestamur, quia tum Scripturarum autoritati, tum etiam doctrinæ Antiquitatis Catholicæ repugnat. Hæc distinctio, si verè pateat, possit esse totius hujus controversiæ absoluta decisio: patere verò eam vel maximè, subsequentes sectiones demonstrant.

[d] *In Matt.* 25.34.

Vitam æternam esse Justis absolutè hæreditatem, *probatur ex Scripturis.*

SECT. II.

ESse vitam æternam *propriè hæreditatem* pleno & unanimi consensu Adversarii nostri liberè largiuntur. Quid igitur nos in eo probando tempus & chartam frustra terimus? At nos eam *absolutè hæreditatem* esse statuimus: id est, ità, ut Christianismus ipse *adoptionis filiatione* totus nitatur. De qua filiatione si quæratur, Unde est? 1. Pet. 1. 3, 4. *Deus Pater nos regeneravit in hæreditatem.* Si, Quomodo hæres fieri potest, cùm sit adhuc infans? Gal. 4. 1. *Etiam* νήπιος, *infans licèt, tamen Hæres.* Si, quoad statum Gratiæ, Quatenus? Gal. 4. 1, 2. *Quamvis sub tutoribus, tamen Dominus est omnium.* Si, Quorsum? 1. Pet. 1. 14, & 15. *Sitis filii* ὑπακοῆς, id est, *Obedientiæ, & in omni conversatione Sancti:* & (si modò causa postulet) non solùm *faciendo*, sed & pariter *patiendo*; Rom. 8. 17. *Si filii, etiam hæredes, & cohæredes cum Christo, si modò compatimur cum eo.* Si denique quoad statum Gloriæ, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei*, κληρονομήσατε, quod non est nudè *Possidete*, (ut Vulgata habet) sed *Possidete hæreditatem.* Quæ *hæreditatis* acceptatio quamvìs cohærere possit cum *mercede Munificentiæ*, at cum *mercede Commensurationis* & *Condignitatis* nunquam potest profectò consistere.

Vitam æternam non propriè Mercedem *posse dici simul &* Hæreditatem, *ex Scripturis probatur.*

SECT. III.

NOn possumus non hanc * Bellarmini sententiam avidis, quod dicitur, ulnis amplecti: *In Scripturis*, inquit, *Epist. ad Ephes. Coloss. & alibi, æterna vita dicitur hæreditas, quæ propriè ad filios pertinet; non igitur est merces servorum, etiamsi annis mille servirent, sed propria portio filiorum.* Hæc ille; sed tamen respectu operum extra Gratiam; idcirco addit, quòd *Necessaria est conditio ad Meritum vitæ æternæ Regeneratio, & Adoptio filiorum.* Cæterùm nos magis Scripturæ credimus, quæ hos duos titulos *Filii* & *Servi* distinguit, & planè distrahit atque dissolvit: Gal. 4. 7. *Itaque jam non ampliùs es servus, sed filius:* Ità ut nomen *hæreditatis* Nativum sit, cùm æternæ vitæ tribuitur; nomen autem *mercedis*, respectu prioris, Adventitium: ut in sectione præcedente ipsa Scripturarum loca declarant.

* *Lib. 5. de Justif. c. 12.* § Ad hæc Scriptura.

Sancti Patres antiqui mercedis *nomen impropriè*, hæreditatis *verò*, *in statu Gratiæ, propriè sumptum esse crediderunt.*

SECT. IIII.

Ex Apostolo, ad Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors, vita autem æterna Gratia Dei est*, Sancti Patres, Catholicæ veritatis Patroni, summo cum consensu affirmârunt, In hac comparatione vitam æternam *Gratiam*, & non *Stipendium* dici, ut nobis innotescat ingens esse discrimen inter remunerationem bonorum operum, ut χάρισμα, id est, *donum gratiæ*, & supplicium impiorum, ut est justum eorum *stipendium:* nec igitur hanc vocem æternæ vitæ propriè competere. Patres nec pauciores, nec inferiores fuerunt quàm hi quos designamus, Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, contra sensum Papisticum omnino: (de quo suprá.) nunc alia Patrum suffragia adjungimus. Basilii: *Vita æterna non secundùm debitum operum, sed juxta Dei munificentiam datur.* Sic ille. (suprà, cap. 11. sect. 3.) Quæ verba nostram superiorem distinctionem de *mercede Liberalitatis* seu *Munificentiæ*, & *Condignitatis* atque *Æqualitatis* manifestè confirmant. Pariter [f] Hilarii: *Sed ad spem omne tempus est liberum, ut mercedem*

[f] In Psal. 129. in fine.

cedem non operis, sed misericordiæ, vindemiæ operarii consequerentur. Et rursus; [g] *Merces quidem ex dono nulla est, quia debetur ex opere.* [h] Marci Eremitæ Græcorum Patrum suorum vestigia prementis, cujus est hæc conclusio, Διὰ τοῦτο οὐκ ἔστι μισθὸς ἔργων ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἀλλὰ χάρις δεσπότου πιστοῖς δούλοις ἡτοιμασμένη, id est, *Idcirco Regnum cælorum non est merces operum, sed gratia Domini servis fidelibus parata.* [i] S. Bernardi: *Dei sunt universa: Gratia gratìs datur: etiam cùm emitur, gratìs emitur; quia quod datur pro ea, nobis meliùs retinetur.* Hactenus partem negativam absolvimus; viz. *vitam æternam non dici propriè Mercedem:* Ad affirmativam accingimur, de *Hæreditate*, ut intelligamus an hic Titulus illis arriserit magis.

[g] *Idem in Matt. can. 20. pag. 306.*

[h] *Marcus Eremita de oper. Justif.*

[i] *De resurrectione, Serm. 2.*

Inter antiquissimos omnium Patrum Origenes ferè primum locum obtinuit: [k] Is, *Postquam à spiritu servitutis*, inquit, *in spiritum adoptionis venerimus, nihil est timoris, id est, nihil propter pœnam gerimus, sed propter amorem Patris.* Et paulò pòst, *Mercedem Servus expectat, hæreditatem Filius.* Sic ille; opponens *Servum* & *Filium* invicem, tanquam quæ sint, si strictè sumantur, ἀσύστατα. Ejusdem *hæreditariæ* proprietatis ἐνέργειαν ex eadem oppositione observavit [l] Ambrosius: *Deus*, inquit, *ut promptiores nos faceret ad obediendum ei, ideo nos vocat Filios & Hæredes futuros*

[k] *In Rom. 8.*

[l] *In Rom. 8.*

futuros. Quam rursus proprietatem Theophylactus discerni docet, in istis Christi verbis, *VENITE BENEDICTI PATRIS MEI, POSSIDETE REGNUM*: [m] *Christus Sanctos vocat* (inquit) *BENEDICTOS, ut à Patre susceptos: hæredes autem ipsos facit regni, ostendens quòd Deus eos participes faciet regni, ut filios suos. Non enim dixit ACCIPITE, sed POSSIDETE, ut paternam substantiam.* Sic ille de *filiis* regni, id quod de *propriè servis* propriè affirmari posse sentiet opinor nemo. Quippe distinguit Theophylactus *jus hæreditarium poßidendi*, ab omni *jure meritorio acquirendi* illam paternam substantiam. Gregorium Nazianzenum ad hunc locum postremum distulimus, non quòd huic admirabili Theologo quicquam detractum velimus, sed ad autoritatem ejus usquè adeò præferendam, ut propter sententiæ suæ exquisitam & enucleatam expositionem, causæ hujus Moderatorem meritò eum designare possimus. [n] Hic distinguens eos, qui salutem consequuntur, *in tres classes*, viz. Δουλείαν, Μισθαρνίαν, Υἱότητα, id est, *Servorum*, *Mercenariorum*, & *Filiorum*; Servos vocat Μικροψύχους, *abjectis animis præditos*; οἷς μέγα, τὸ φυγεῖν βάσανον, *quibus præclarum videtur pœnam tantùm vitare*: Mercenarios verò appellat μεγαλοψύχους, *magnanimos*, quibus propositum est καὶ τυχεῖν ἀνταπόδοσιν, *etiam ad mercedem aspirare*: Filios denique dicit

[m] Theoph. in Matth. 25.

[n] Gregor. Naz. Orat. 40. in Bapt. pag. 645.

dicit esse ὑπὲρ πάντας, *super utrosque.* Deinde singulos ordines sigillatim monet: *Si servus es, plagas metue: si mercenarius, mercedem duntaxat expecta: si denique filius, patrem revere, ac bonis operibus stude; quia bonum est Patri obtemperare,* κἂν εἰ σοι μηδὲν ἔσεσθαι μέλλοι. Τοῦτ᾽ αὐτὸ μισθὸς, τὸ τῷ πατρὶ χαρίζεσθαι, *Etiamsi ex ea re nihil tibi quæstûs rediturum sit: quia hoc ipsum merces est*, nempe, *Patri obsequi.* Sic ille, docens has classes distingui debere, non confundi. Adversarii verò, nè omni Patrum antiquorum præsidio destituti esse videantur, tanquam homines aquis submersi, scirpos, & quidvis vel umbratile arripiunt; sed frustra, nisi quòd hoc modo nobis molestiam creare satagunt.

Objectio Adversariorum ex Patribus, Regnum cœlorum ab iis dici VENALE, *vehemens admodum, sed evanida.*

Sect. V.

NOn destitit Jesuita Vasquez nos quibusdam Patrum testimoniis premere, in quibus dicitur Cœlum nobis proponi Venale: ° *Optimè* (inquit) *Jesuitæ nostri Colonienses dixerunt Cœlum nobis proponi Venale, eò quòd meritis condignis, tanquam pretio æquali, comparandum sit. Quam sententiam Kemnitius* (hic ° *Vasquez in 1.2. Tom. 2. disp. 215. cap. 2.*

(hic unus ex Protestantibus) *indignè tulit ac refutavit, ut dignitatem meritorum nostrorum tolleret.—Cæterùm Jacobus Paiva nostrorum Jesuitarum sententiam confirmavit, & Kemnitii calumniam contudit ex Patribus: nam Clemens Alexandrinus in Parænetico inquit, Pretiosissimam salutem emi pro thesauro, charitate & fide, ut justo pretio. Et Basilius, in Proverbiorum initium, Mercatores nos esse, ait, operibus possessionem cœlestem comparantes. Etiam Augustinus (Serm. 22. de verbis Apostoli) de Juda Iscariota ait, Avaritia te ad Indos misit ad deportandum aurum; ego tibi ante ostium posui Christum, à quo emeres Regnum cælorum.* Hæc ille; sed parciús. Ergò Cardinalis Hosius intromittendus est; habet enim ille quod det, & quidem largiter; p *Augustinus* (inquit) *in Psal. 93. Venale est Regnum cælorum. Sed dices, Quantum valet? Pretium ipsius labor est.—Ambrosius de Helia & jejunio, cap. 20. Subsidia habemus, quibus peccata nostra redimamus: pecuniam habes, redime peccatum tuum: non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es.— Chrysost. in Epist. ad Philip. Serm. 15. Non dicimus pecuniâ emi Regnum cælorum, sed voluntate:—Illam si habueris, potes per æra minuta duo emere Cælum.—Gregorius Nazianzenus in orat. 18. ad cives; Pauco sanguine Regnum emitur cælorum, & gloria sempiterna rebus temporariis.—Petrus Chrysologus, hom. 41. Amore pauperis*

p *Hosius c. 73. Confut. opin. contr. pag. 300,*

Deus

Deus regnum suum vendit.—*Gregorius Pontifex, lib. Moral.* 20. *cap.* 16. *Apostoli relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt.*—*Clemens Alexandrinus, in orat. hortatoriâ ad Gentes, Pretiosissima salus numismate charitatis emitur.* Non dissimilia reperiuntur apud Ambrosium, Ephræm, & Cæsarium. Has phrases Adversarii à Patribus operosè corraserunt in defensionem sui *Meriti de Condigno:* Et sanè nos, si quidem Regnum cœleste propriè meritis nostris *venale* sit, illud minimè *hæreditarium* esse fateri oportet. Huic objectioni solutionem triplicem adaptabimus.

SOLUTIO I.

Explicando Adversariorum technam sophisticam, quâ Lectores suos quasi pro ludibrio & deridiculo habent.

SECT. VI.

MIra hæc est & misera Adversariorum sophisticatio, quæ res diversissimas confundit. Nam duo sunt genera Comparatorum: unum *qualitatis*, seu *similitudinis:* alterum *quantitatis*, sive *æqualitatis*, ut omnes nôrunt. Exemplum petam ab Evangelio, ut nobis quidem videtur, luculentissimum: Matth. 13. 45, 46. *Regnum cælorum simile est homini negotiatori quærenti pulchras margaritas; qui,*

inventâ quâdam magni pretii margaritâ, abiens vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Quæ Parabola quid sibi velit, vestris Interpretibus explicandum permittemus: in primis verò Jesuitæ [q] Salmeroni in hunc Textum; *Sensus ex Augustino est, Nos Christianos esse mercatores, & Christum margaritam: Margarita est Christus, Verbum caro factum; nos ipsos pro illa margarita demus, non quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus.* Hactenus Augustinus. Ergò, inquimus nos, Nihil minùs intelligitur, quàm pretium ex *condigno* collatum. Et [r] Ambrosius; *Christianus negotiator maluit omnes quas habet seculi gemmas amittere, ut hanc unam emeret margaritam.* Sic ille. Hæc quoq; mercatura est ultra *condignum*, ni fortè eò venerint vecordiæ Adversarii, ut putent ex *æqualitate justitiæ* se posse Christum ipsum promereri, qui est (ut præterea Salmeron ibidem rectè notat) *Margarita, quæ omnium lapidum pretiosorum proprietates in se habet.* Nihil igitur planius esse potest, quàm, Comparationem hanc de emptione, in se, *qualitatis* & *similitudinis* rationem continere: non autem *quantitatis, condignitatis, commensurationis*, & *æqualitatis* ullam.

[q] *In Evang. qu. Evang. 13. Tom. 7. Tract. 11. pag. 60.*

[r] *Tom. 3. Serm. 6.*

SOLU-

SOLUTIO II.

Adversariorum Argumentum pro Condigno *ex eadem similitudine emptionis, à Patribus ipsis confutari.*

SECT. VII.

Chrysostomum Adversarii jam suprà urserunt strenuè ex Serm. 15. in Epist. ad Philip. Sanctus ille Pater in loco allegato, in hunc modum animi sui sensum exprimens, *Pretii*, inquit, *nè objicias inopiam: quanti potes, tanti eme. Habes denarium? eme cœlum; non quòd venale sit cœlum, sed quòd clemens est Dominus. Non habes denarium? da calicem aquæ frigidæ.* Hæc ille. Ergò, Chrysostomo Moderatore, *cœlum non est venale:* Sic enim ait, nempe propriè ex commensuratione æqualitatis, propter *denarium*, aut *calicem aquæ frigidæ*; sed ex *gratia* & *acceptatione clementis Domini.* Quid clarius? nec tamen puduit Adversarios hoc ejus testimonium, tam eorum placitis omnino repugnans, nobis objectare.

Eodem planè ingenio, distorto omnino, nobis Ambrosium obtruserunt. Is vult pœnitentem *eleemosynâ peccata sua redimere*, quæ est etiam phrasis vulgatæ editionis: quod ejus dictum pro *Merito de Condigno* adferunt, cùm tamen ex *Condigno* nos posse veniam peccatorum mereri negent universi. Imò & Augustinum

gustinum etiam sibi vendicant, qui, si viveret, religiosè juraret, hunc sibi sensum in mentem venisse nunquam. Dicit quidem, *Venale est Regnum pretio laboris*. An verò pretio *aequalitatis* & *condignitatis?* Ille (capite sequente, sect. 3.) planè contrarium docebit, ubi, ut aequale sit praemium labori, dicit, *Vitam aeternam* (quod impossibile est) *labore aeterno esse comparandam*.

Si rursus de *labore possibili* quaestio sit, Quis potissimùm Regnum coelorum promereatur; omnes uno ore opus *martyrii* praeferent laboribus caeteris omnibus: quo tamen, tantum abest, ut propriè empturi sint Regnum coelorum, ex sententia Augustini; ut ipse affirmet, *Martyris mortem pro Christo, priùs per Christi mortem emptam fuisse*. (infrà cap. 15. sect. 3.) Denique, de omni gratia, Bernardus: *Gratia omnis, cùm emitur, gratìs emitur*. (suprà, sect. 4. hujus capitis.) Hactenus Patres. Optandum est igitur ut Adversarii ad mentem tandem redeant saniorem, & desinant Patrum ingeniosis elegantiis abuti, & eorum ἡδύσματα, quasi ὀλίσματα, obtrudere; ut lectoribus suis perniciosè imponant. Quod Solutio proxima clariùs ostendet. Interea constat, Adversarios adhuc, in objectandis Patribus, piscatos esse in aëre, & venatos in medio maris.

SOLUTIO III.

Adversarios ipsos objectionem hanc, de Cœlo venali, *lævâ ac læsâ conscientiâ blaterâsse.*

SECT. VIII.

Pontificii Doctores, quoties in has Patrum phrases incidunt, de *emptione cœli*, & *Cœlum venale esse, &c.* statim eas urgent atque inculcant, tanquam luculentum Argumentum pro *Merito de Condigno*. In quo sese ostendunt esse versipelles egregios; quia sæpe contrarium coguntur agnoscere. Nam cùm *emptio* & *venditio*, & omnis hujusmodi *contractus*, ex omnium confessione, pertinent ad *justitiam Commutativam*, quam ipsi negârunt intercedere inter nos & Deum; audent tamen has *emptiones* & *venditiones* nobis ex Patribus objicere.

Inter eos qui rei deprehenduntur extat Cardinalis [r] Hosius: *Justitia inter contrahentes*, id est, *emptorem & venditorem, est Commutativa, quæ respicit æqualitatem Arithmeticam, quæ est quantitatis: quam si quis spectet, certum est, neque justum vel dignum esse, ut pro passionibus hujus temporis detur gloria æterna; cùm inter passiones hujus temporis & præmium æternum nulla sit æqualitas.* Sic nunc ille contra *Commutativam justitiam*, qui tamen modò tot con-

[r] *Cap.* 73. *confutat. opin. contr.* pag. 282.

gessit Patrum testimonia, ad probandum, ex Merito de Condigno Cœlum *venale* esse, & *vendibile*; quod peculiare est *justitia Commutativa*.

Huic Cardinali succedit & succinit Vasquez Jesuita; testimonia Patrum de *emptione cœli* ursit gnaviter, cùm tamen sit hæc *Commutativa justitia* propria, quam ille pariter oppugnavit: dixit enim eam doctrinam *à nullo hactenus ex antiquis Scholasticis traditam esse.* (suprà, cap. 5. sect. 2.) Libet hîc aliam Adversariorum contradictionem notare.

[t] Enchirid. Tract. de Meritis, ob. 7.

[t] Costerus Jesuita præclarè rem expedire se autumat, cùm dicit, *Cui hæreditas datur in mercedem, est mercenarius & filius.* Sic ille: Ubi utrumque vocabulum acceptione propriâ urget: quem ad Stapletonum mittimus, à quo rationem deposcat, cur ille *Meritum juxta justitiam Commutativam obvenire* negaverit. *Nè bona opera servilia esse videantur.* At nunc Adversarios suis propriis Argumentis (veluti laqueis) constrictos relinquemus. Properamus ad Argumentum, quod (prout nobis videtur) quasi terminis terminantibus causam concludat.

CAP.

CAP. XIIII.

Septimum nostrum Argumentum adversus Pontificiorum Meritum de Condigno, *ex parte Præmii bonorum operum, quatenus est* supra condignitatem *operis.*

Argumentatio.

SECT. I.

CUjus operis præmium est supra Condignum, illud opus non est propriè Meritorium de Condigno apud Deum: Sed cujuslibet operis boni præmium (quę est vita æterna) est supra illius Condignum, seu Condignitatem: Idcirco nullum opus bonum est vitæ æternæ propriè Meritorium de Condigno apud Deum.

Propositio Major desumitur à loco oppositorum absolutorum: quia præmium esse *Ex Condigno*, & esse *Supra Condignum* (quod est *Non ex Condigno*) sunt ἀσύστατα & contradictoria: Ità ut Majoris consequentiam [a] Vasquez Jesuita ingenuè concedat: *Etenim si concedamus* (inquit) *nostra opera à Deo remunerari ultra ipsorum dignitatem, planè consequitur illam accessi-*

[a] *In* 1. 2. *Tom.* 2. *disp.* 214. *cap.* 7. § Altera.

accessionem remunerationis nobis donari intuitu meritorum Christi, non autem intuitu solùm nostrorum operum. Scripturarum loca duo sunt, luculentissimis Patrum expositionibus illustrata, in quibus insistemus.

Primus Scripturæ locus convincens Pontificiorum dogma falsitatis.

SECT. II.

Rom. 8. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis gloriâ futurâ, quæ revelabitur in nobis.* Hunc locum, quem nos planè Achilleum esse duximus, [b] Bellarminus, levi quasi corporis sui declinatione, vitare se posse putat: *Loquitur Apostolus,* inquit, *de substantia operum, non de proportione absoluta: nam passiones hujus temporis breves sunt, gloria autem æterna: tamen proportio est inter istas passiones & illam gloriam, propter charitatis dignitatem unde procedunt.* Sic ille, adhuc crepans operum bonorum *absolutam æqualitatem justitiæ apud Deum.* De cujus objectionibus postea, sect. 4.

[b] *Lib. 5. de Justif. c. 3.* § Neque his.

Nos verò tenemus atque defendimus ex hac Scriptura, Comparationem bonorum operum esse, non modò quoad substantiam actuum, respectu brevitatis passionum, & vitæ æternitatis; sed etiam respectu cujuscunque proportionis quæ esse potest dignitatis operum

rum ad excellentiam beatitudinis vitæ æternæ; ut ex verbis immediatè præcedentibus liquet: *Non enim accepistis* (inquit) *spiritum servitutis, ad metum: sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Quia ipse Spiritus testatur unà cum spiritibus nostris, nos esse filios Dei. Quòd si filii, etiam hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si modò simul cum eo compatimur, ut simul cum eo etiam conglorificemur:* Nam statim addit, *Non esse condignas passiones, &c.* In quibus verbis habetis quicquid requiri potest ad operis boni dignitatem. 1. Vox est ἄξια, *digna.* 2. Quia agitur de operibus factis in statu Gratiæ, & ab iis in quibus Spiritus Sanctus est inhabitans, *Accepistis Spiritum adoptionis*, inquit. 3. Exprimitur etiam pactum Dei: *Si* (inquit) *compatimur, ut conglorificemur.* Fatendum est igitur, illud, *Non Condigna, &c.* referri debere tam ad personarum quamlibet dignitatem, quàm ad operum sive actuum substantiam. In quo nos tamen nullam fidem nobis adhiberi cupimus, quam non sanctorum Patrum autoritas exigere & quasi imperare videatur.

R *Sancto-*

Sanctorum Patrum disertissima testimonia, quibus docent, opera insignissima (quæ sunt passiones Sanctorum) non esse omnino condigna vitâ æternâ.

SECT. III.

DIsertissima ea esse diximus, quia non nisi de essentiali beatitudine loquuntur, & non tantùm *Passionum*, sed & *Patientium* dignitatem pensitant.

Primus erit [c] Cyprianus: *NON SUNT CONDIGNÆ PASSIONES, &c. Cùm* (nempe) *beati erimus, dignatione Domini honorati.* Sic ille. Ubi *Dignatio Dei* certissimè Patientium ipsorum dignitatem qualemcunque subindicat.

Secundus, [d] Athanasius: *Nec universo orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus.* Loquitur generaliter de optimis omnibus operibus, & de quovis cœlesti habitaculo.

Tertius, [e] Ambrosius: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Pro Christo dicimur pati, cùm non illi, sed nobis proficiat, quod patimur: sed ille* [Christus] *quia quærit occasionem remunerandi nos, hoc præcipit. Ut profusus enim largitor, causam quærit quomodo donet indignis aut verecundis. Denique, ut ipsa exitia tolerari possint, ipse vires suggerit.* Rursus idem [f] Ambrosius:

[c] *In epist. ad Thebaritanos. 56.*

[d] *In vitam S. Antonii. citante Bellarmino, lib. 5. de Justif. cap. 14.* § Huc etiam.

[e] *In textum Apostoli.*

[f] Ambrosius: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c: Non ergò secundùm merita nostra, sed secundùm misericordiam Dei cœlestium decretorum in homines forma procedit.* Hîc sanctus Pater Conclusionem nostram adstruit, *Non secundùm merita nostra vitam æternam obtineri:* quibus condignitatem nostram merendi ex æqualitate justitiæ (idque argumentis sex) pedibus quasi conterit atque conculcat. Primum est indignitas patientis, Quòd *non Christo, sed sibi soli proficiat.* Secundum, Quòd τὸ *Pati* illi *præcipiatur,* ità ut sit opus Christo debitum. Tertium, Quòd remuneratio non ex debito, sed ex *profusa largitione* reddatur. Quartum, Quòd præmium conferatur, si strictè examinentur Sancti, in *indignos.* Quintum, Quòd in patiendo, non suâ, sed *Dei virtute* sustententur. Sextum, Quòd Deus, in dispensatione sua judiciali, *secundùm misericordiam* agat.

[f] In Psalm. 118. Serm. 20. paulò post medium.

Quartus, [g] Hieronymus: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Nam revera nihil potest homo pati condignum gloriâ cœlesti, etiamsi talis esset illa, qualis est modò vita. Quicquid enim passus fuerit à morte, plus non est, quàm etiam pro peccatis suis antea merebatur; nunc autem & peccata condonantur, & tunc vita æterna præstabitur.* Duplici modo pungit & expurgat *meritoriæ condignitatis* vomicam, dum negat nos posse, per passiones martyrii, vel hu-

[g] In Rom. 8.

jus vitæ beneficia promereri: nec hoc solùm, sed etiam monet, Martyres, dum patiuntur pro Christo, potiùs de demeritis suis cogitare; quasi qui passiones istas ipsi meruerint.

[h] In Rom. 8. hom. 14.

Sequitur quinto in loco [h] Chrysostomus: *NON SUNT CONDIGNÆ &c. subjunxit, SI QUIDEM SIMUL CUM EO COMPATIMUR, UT SIMUL CUM EO ETIAM CONGLORIFICEMUR. Quomodo enim non retribuet, cùm viderit laborantes, taliáque patientes, qui tantis nos donis, dum nihil boni fecissemus, cumulavit?* Et paulò pòst; *Vide quomodo certantium sensum deprimat, & erigat; quando enim ostendit laboribus præmia esse majora, & hortatur magìs, & non permittit ut superbiendo sapiant; utpote qui vincantur coronarum retributione.* Sic ille. At in patiendo pro Christo, superbia non oritur ab *excellentia præmii*; sed ex patientis opinione de *condignitate sua.* Rursus idem Chrysostomus aliam machinam adhibet, ad hanc Meriti condignitatem expugnandam. [i] Qui primùm *temporalia* Dei beneficia, tam creationis, quàm conservationis perpendens, *Etsi millies moriamur*, inquit, *etsi omnes virtutes animi expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ percepimus ab eo. Vide enim quomodo, cùm in nullo ipse nostri indigeat, tamen cùm non essemus esse nos fecit, &c.* Deinde, *spiritualia* Dei beneficia pensitans, *Multò magìs*, inquit, *justus, quæ per Christum futura*

[i] Chrysost. de compunctione cordis, circa medium lib. 2.

tura promittuntur bona, per horas singulas & momenta considerans, & immensum Dei beneficiorum pelagus attendens, dicebat, QUID RETRIBUAM DOMINO PRO OMNIBUS, &c. Sic ille. Observate, obsecro, Patris hujus sanctissimi, juxtà & doctissimi, Dialecticam. *Si millies moriendo pro Christo*, nullâ tamen virtute nostrâ beneficiis *præteritis* nos digni judicandi simus; multò minùs digni censendi sumus *futuris* illis, quæ præterita excellunt non minùs, quàm *immensorum bonorum pelagus* viliorum pugillum donorum, non obstante quantacunque virtutis nostræ æstimatione. Sic enim ait, *Etsi omnes virtutes animi expleamus.*

Sextus est [k] Autor operis imperfecti, scriptor sanè perantiquus: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Si ergò major erit gloria, quàm quod Sanctorum unusquisque meretur; quomodo aliis sufficiat ad salutem opus illorum, cùm nec sibi solis sufficiat ad gloriam justo judicio consequendam? — Quid ergò dignum faciemus in hoc seculo, ut participes Domini nostri in regnis cœlestibus facti simus? Ideo dixit Apostolus, NON SUNT CONDIGNÆ PASSIONES, &c.* Sic ille. Cujus consequentia est nostra conclusio, *Non esse condignas passiones, &c.* At est ejus ratio una ex nostris præmissis: non solùm quia remuneratio passionem *excellat*, sed quia *nemo sufficiat sibi ad gloriam consequendam*.

[k] *In Matt. hom. 52, 53.*

[l] Citante Bellarmino, lib. 5. de Justif. c. 14. § Huc etiam.

Septimus, [l] Eusebius Emissenus: *Totis licèt animæ & corporis viribus desudemus, totis licèt obedientiæ viribus exerceamur; nihil tamen condignum merito pro cælestibus bonis compensare & offerre valebimus.* Sic ille. His verbis, *animæ viribus, & obedientiæ*, omne charitatis & fidei officium, & quicquid esse potest spiritualis dignitatis, comprehendit; & tamen *Nihil condignum, &c.*

[m] In Psal. 93.

Octavus, [m] Augustinus: *Attendite:* (inquit) *quodammodo Deus proposuit venale regnum cælorum. Dicis illi, Quantum valet? Pretium ipsius labor est. —Quantus labor est? —Ego ostendo quanta sit illa requies, tu judica quanto labore emenda sit.—Vitam æternam habebis, requiem quæ non habet finem. Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterno labore rectè emitur.—Quia sempiterna requies est, æqua pretium: æterno certè labore digna est æterna requies comparari. —Verum hoc est, sed noli timere, misericors Deus est.* Hic pugio acutior est quàm qui obtundi possit. Reperimus Vasquem & Jesuitas Colonienses seriò jactitantes, *Cælum esse venale*; ut ostendant veram & propriam esse Condignitatis commensurationem meriti patientium cum præmio vitæ æternæ: Noster tamen Patronus insignissimus Augustinus asserit, *Si vita æterna venalis esset, deberet æterno aliquo labore*

labore emi. Cui cùm nos prorsus impares simus, propterea suadet, ut nos conjiciamus in sinum Divinæ misericordiæ. Item idem [n] Augustinus, *Si per totam vitam*, inquit, *homo in laboribus, ærumnis, & tormentis esset; pauci sunt dies hujus vitæ ad regnum cæleste.* Item alibi, [o] *Si quotidie*, inquit, *oporteret tormenta perferre, si ipsam gehennam pro tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus in gloria venientem; non erit dignum tanta pati, ut tanti boni participes habeamur.* In hoc argumento fingit apud se vir undiquaque sanctissimus, passionem extremorum malorum, *Gehennam pro tempore tolerare*, & hoc homini imponi sub *pacto* & *conditione* obtinendi gloriam futuram: Nihilominus apertè disertéque concludit, tam de patiente, quòd *non dignus*, quàm de patientis opere, quòd *non sit dignum tanto bono.*

[n] *In Psalm.* 36.

[o] *Idem in Fest. omnium Sanctorum, Serm.* 1. *Tom.* 10. *pag.* 1244.

Nonus & decimus, (ut duos simul conjungam, præsertim tam ὁμοψήφους) Primasius & Isidorus Hispalensis. [p] Primasius: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Quicquid enim passi sumus à morte, non plus est, quàm quod à peccatis nostris merebamur.* Similiter & [q] Isidorus: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Non murmures, non dicas, Quare ista sustineo? sed, Non sum dignus; me minùs percussum esse quàm merebar agnosco.* Utrique penè verbatim superiori Hieronymi suffragio (suprà in hac sectione) consentientes. Quorum Patrum

[p] *In Rom.* 8.

[q] *De contemptu mundi; in principio libri.*

trum verba commentario nostro non egent. Nihil enim dici potuit adversus Meritum de Condigno vitæ æternæ ex æqualitate justitiæ, efficacius, nervosius, repugnantius.

[r] Lib. 1. ad Monim. pag. 19.

Undecimus, [r] Fulgentius: *Vita æterna non injustè GRATIA dicitur; quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantùm Gratia Divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ, & à Deo datæ, humanæ voluntatis atq; operationis excedat.* Sic ille, non tantùm de *actu* bonorum operum, sed etiam expressè de *merito* & qualicunque eorum *dignitate*, responsis Papistarum repugnat.

[s] In Rom. 8.

Duodecimus, [s] Remigius: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Si quilibet hominum omnia præcepta Veteris & Novi Testamenti potuisset implere,* (en utrumque pactum!) *et omnia genera tormentorum perferre,* (en nobilissimum Christianorum opus!) *nequaquam esset dignus gloriâ futurâ, quam percepturi sunt electi.* En! Patiens ipse, *Martyr* licèt, vitâ tamen æternâ *indignus* judicatur.

[t] Serm. 1. de Annunciatione.

Decimus tertius, [t] Bernardus: *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?* Hem vobis vocabulum ipsum *Merita*, & quidem *omnia*, nullo excepto; in qua tamen voce operum vestrorum dignissimam dignitatem collocatis.

[u] In Rom. 8.

Decimus quartus, [u] Anselmus: *NON SUNT CONDIGNÆ, &c. Si quis pateretur* (inquit) *omnes*

omnes acerbitates hujus vitæ, non essent omnes passiones dignum meritū ad consecutionem gloriæ.

Hæc sancti Patres exactè admodum. Eandem veritatem persequemur fusiùs, &, quoad fieri potest, clariùs, ubi de *martyrio* disseremus, infrà, cap. 18.

Adversariorum objectionum refutatio.

SECT. IIII.

PRima objectio. Cardinalis (ut probet Christianos, quamvis non ex sui operis, tamen ex ipsarum personarum dignitate, mereri vitam æternam) sic arguit; [x] *Alioqui Christi passiones, quæ breviores erant pœnis damnatorum, quæ sunt æterna, non propter personæ suæ dignitatem satisfecissent.* Sic ille. Quo nihil concludi potest obtusius, aut fidei Christianæ, imò vel Bellarmino ipsi repugnantius. Primò enim immanè quantùm (quod ad merendi & satisfaciendi virtutem spectat) persona Christi à cujuslibet Christiani persona distat! Nam cùm Christi persona erat Θεάνθρωπος, propter hypostaticam unionem Deitatis, ut & passio ejus Θεανδρικὴ, non potuit ulla sanguinis ejus pretiosi vel guttula, per se, etiamsi ex justitiæ rigore, non sufficiens esse ad mille mundos redimendos; quia *in eo habitat Deitas ipsa corporaliter.* De Christianis verò, vel sanctissimis, (si cum Christo comparentur) Apostolus

[x] *Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 3.* § Neque his.

* Joan. 1. 16. stolus Joannes pronunciat, * *De plenitudine ejus accepimus omnes gratiam pro gratia.* Quid verò nostra *guttula* ad summam istam *plenitudinem*? Nè nimius sim; ad satisfaciendum

y Lib. 2. de Justif. c. 5. § Quod. objectioni Bellarmini, unicus sufficiet y Bellarminus. Verba ejus hæc sunt, *Non acceptat quidem Deus in veram satisfactionem pro peccato, nisi justitiam infinitam; quoniam peccatum offensa est infinita: sed satìs est ad hoc, ut sit justitia personæ infinitæ, qualis est Christus, Deus & homo; quo respectu infinita est, & in vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro peccatis totius mundi.* Sic ille. Jam verò Meritum semper est satisfactionis fundamentum, & non minùs respicit infinitam Dei justitiam, quæ infinitam justitiam nostram exigit. Fingant igitur Adversarii oportet novum Christum, & suppositum aliud hypostaticę unionis, priusquam probare possint meri hominis cujusquam actum de *condigno* præmium ullum infinitum promereri.

z In 1. 2. Tom. 2. disp. 214. c. 11. & Estius in Rom. 8. Secunda objectio. Jesuitæ duo (*viz.* z Vasquez & Estius) aliter nobis, animo eodem, Argumento tamen diverso, oggranniunt: *Inter impiorum peccatum & stipendium nemo* (inquiunt) *negabit esse condignitatem: At impiorum voluptates sunt momentaneæ & temporales; pœna tamen, & dolor, qui eis infligitur, est æternus.* Sic

* Cap. 2. sect. 5. illi. Sophismatis hujus futilitas jam* suprà explosa est: quia ingens est inter hosce discrimen: quando-

quandoquidem opera impiorum propriissimè *sua* sunt; at opera sanctorum *charismata* & *dona Dei*, quæ, ex gratia adoptionis, per Christi meritum Deo grata fiunt. Latam differentiam hanc enucleatè tradidit Apostolus Jacobus, cap. 2. vers. 13. ubi primò adversus impios, *Judicium*, inquit, *sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam*. Erga pios verò quid? *Superexaltat misericordia judicium*. Interpretem quæritis? En præstò vobis [a] Estius: *Impius non faciens misericordiam*, inquit, *experietur Deum justum judicem, secundùm exactum rigorem justitiæ, eum punientem: At quoad electos misericordia dicitur* κατακαυχᾶσθαι, *exaltare & gloriari supra judicium, quia justi cum misericordia judicandi sunt*. Hæc ille. Quid clarius? Quis igitur Adversariorum nostrorum pertinaciam pervicaciámque non meritò fastidiat, pro *Merito de Condigno* tam importunè támque perpugnaciter certantium?

[a] *In eum locum.*



CAP. XV.

Octavum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, ex parte Dei remunerantis, quatenus bonum opus nihil ei prodest.

Argumentatio.

SECT. I.



Uicunque propriè meretur de Condigno, prodest aliquo modo etiam remuneratori ipsi: Sed nemo omnium, bonis suis operibus, prodest ullo modo Deo remuneratori: Ergò nemo suis bonis operibus meretur aliquid de Condigno apud Deum.

Scripturarum vox.

SECT. II.

SCripturæ docent, neminem benefaciendo Deum prævenire. Rom. 11. 35. *Quis prior dedit, & retribuetur ei?* Quem in locum [b] Toletus Jesuita eruditè admodum: *Deus est qui prior benefecit: quicquid autem boni fecerit homo*

[b] *In eum locum.*

homo erga Deum, posterius est; priùs enim id boni acceperat à Deo, quàm aliquid boni exhiberet, qui dedit ut homines essemus: Deus ergò tribuit homini, non retribuit. Hæc ille. Ergò à priore nil Deo confert: An verò à posteriore? Tantundem: certè nè pilum quidem. Miræ antiquitatis est hæc veritas. In libro Job, cap. 22. vers. 3. *Quid prodest Deo, quòd justus es?* & 35. 7. *Si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Uno verbo dicam. In Scripturis homo Deo *gratias agere* & *benedicere* millies dicitur, *benefacere* verò nunquam. Scholasticorum confessiones nihil moramur. Testimonia superiora sparsim disseminata hunc sensum præ se ferunt. An verò antiqui Patres præmissas nostras comprobent experiemur.

Antiquorum Patrum judicia.

SECT. III.

[c] TErtullianus, ut exprimeret illud minus nihilo esse, quod Deo conferimus, *Precamur,* inquit, *SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, non quòd deceat homines bene Deo optare, quasi sit & aliud de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus. Planè benedici Deum omni in loco & tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus: Sed & hoc benedictionis vice fungitur.* Per Antonomasiam

c De oratione Dominica.

[d] *Orat. de pauperum amore.*

Theologus dictus [d] Gregorius Nazianzenus, *Quamvìs omnium facultatum tuarum*, inquit, *jacturam* [largiendo] *feceris, quamvìs teipsum facultatibus adjunxeris*, [nempe mortem pro Christo sustinendo] *nunquam tamen Dei liberalitatem vinces*. Rationem attexit, Τοῦτο γάρ ἐστι λαβεῖν, τὸ τῷ Θεῷ δοθῆναι, *Quia donari Deo, est* [à Deo] *accipere*. Sic ille. Tantum igitur abest, ut addamus aliquid Deo, ut potiùs ei debeamus ipsam donationem nostram, eámque tanquam acceptationem gratiæ interpretari. [e] Chrysostomus paulò expressiùs: *Si aliquid offerre Deo volumus, quid amplius quàm gratias possumus?—— Nullâ nostrarum rerum indiget, præterquam verbis; hanc tamen ipsam in sermonibus gratiarum actionem exigit, non quòd eâ ipse opus habeat, sed ut nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum suppeditatorem*. Sic ille. Qui jam * suprà dixit, *Cùm damus eleemosynam, Deus nos sibi obnoxios & obstrictos facit*. Hominem autem ab homine, tantùm gratias agendo pro beneficiis, vel bonum quod agit accipiendo, nihílque quicquam benefactori conferendo, bene mereri, vix fando auditum est unquam.

[e] *In Gen. hom. 26.*

* *Cap. 9. sect. 3.*

His accedat (de quo diximus) aliorum Patrum consensus. [f] Basilii: *Non debitor nobis Deus aliquid accipiendo*. [g] Augustini: *PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTORUM: Emit eam sanguine*, [Christus] *quem*

[f] *In Psal. 114.*
[g] *In Psal. 115.*

quem prior effudit pro salute servorum, nè pro nomine Domini servi fundere dubitarent: quod tamen eorum, non Domini, utilitati proficeret. Hæc Augustinus de ipso *martyrio*, quod Ecclesia inter opera consummatissimæ virtutis semper habuit. Quod & [h] Prosper, Augustini quasi discipulus, non minùs religiosè notavit: *Cùm tamen servorum mors* (inquit) *servis prosit, non Domino.* Ipsissima planè ratio, quâ usus est [i] Ambrosius, ubi exponit verba Apostoli, *NON SUNT CONDIGNÆ PASSIONES HUJUS VITÆ GLORIÆ QUÆ REVELABITUR IN NOBIS: Quia pro parvis magnifica, pro temporalibus perpetua præmia pollicitus est. Pro Christo dicitur pati, cùm non illi, sed sibi* [martyr] *proficiat.* Venerabilis [k] Bedæ, cùm sæpe alibi, tum maximè in hoc Argumento veneranda est autoritas, qui in illa verba Christi, *CUM OMNIA FECERITIS QUÆ PRÆCEPTA SUNT VOBIS, DICITE, SERVI INUTILES SUMUS; QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS, Inutiles*, inquit, *quia Dominus bonorum vestrorum non indiget: si autem inutilis est qui fecit omnia, quid de eo dicendum, qui explere quæ præcepta sunt, aut infirmitate non potuit, vel, quod pejus est, superbiâ despexit?*

[h] *In Psal.* 115.

[i] *In Rom.* 8.

[k] *In Luc.* 17.

Utræque præmissæ nostræ ex hisce Patrum sententiis satìs corroboratæ & stabilitæ sunt. *Nosce teipsum*, etiam apud Ethnicos habebatur

vox

vox oraculo digna. Discamus igitur & nos tandem sapere. Quid enim est, Conferre aliquid in gloriam Dei? Nempe id quod est, Candelæ splendorem soli fœnerari. Nè quis vestrûm me hoc fingere dicat, [1] Toletum vestrum consulat, oro: *Deus* (inquit) *hominem, & homo Deum clarificat, seu glorificat; at multò aliter: nam Deus glorificat hominem ei beneficia conferendo, & bona, quibus efficitur homo gloriosus: at homo nihil potest offerre Deo boni; sed glorificat Deum, cùm præclaram habeat notitiam Dei, & manifestum faciat eis qui ignorant.* Hæc ille. Addo: In eo quòd istæc nostra glorificatio grata sit Deo, ejus solius gratiæ debetur. Quid porrò? Nostrum quod dicitur *Meritum de Condigno*, quandoquidem *non proficit Deo*, non potest non esse ei contumeliosum: id quod nunc exactiùs confirmare conamur.

[1] In Joan. 17.

CAP.

CAP. XVI.

Nonum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, ex comparatione Meritorum inter homines invicem.

Argumentatio.

SECT. I.



Uod, cùm homini offertur, necessariò contumeliosum est, id si Deo offeratur non potest non esse profanum: Sed apud hominem amplissimè de nobis merentem, Meritum nostrum de Condigno venditare, non potest non esse ei contumeliosum: Ergò, id apud Deum facere, profanum sit, necesse est. Argumentum hoc Divinum, Catholicum, Ethicum seu Morale, nec non lumine naturali Ethnicum, & tandem omnino convincens esse facilè probabimus.

1. *Argumentum superius* Divinum *esse Scriptura sacra demonstrant.*

SECT. II.

LOca Scripturarum plurima sunt: nos delectum fecimus, duobus duntaxat contenti:

quorum unus ex Veteri Testamento, alter est ex Novo deprompτus.

In Veteri, *scil.* Malach. 1. postquam Propheta acriter invectus esset in nefariam eorum profanationem, qui, retentis apud se animalibus sanis & integris, non nisi languida, marcida, & maculosa in sacrificium Deo offerebant, illos Dei nomine exprobrat, *Nónne hoc malum? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Si quis Pontificiorum fortasse hujus Argumenti vim non satis assequitur, consulat Jesuitam [m] Riberam: *Propheta argumentum est* (inquit) *à majori ad minus; quasi dixerit, Non audebis tu hac offerre duci tuo, & tamen mihi* [Deo tuo] *offerre audebis?* Sic ille. Summa itaque impietas est, non exhorrescere tantum contemptum & contumeliam Deo immortali inferre, quantum mortali duci imponere virum probum & modestum prorsus dispuderet.

[m] *In eum locum.*

Alterum ex Evangelio exhausimus, *viz.* Luc. 17. 7. *Quis vestrûm habens servum arantem, cui regresso ex agro dicat statim, Prodi & recumbe? imò nónne dicet, Ministra mihi usquè dum edero & bibero; & postea edito tu & bibe? Num gratiam habet servo illi, quia fecit qua ipse pracepit facere? Non puto. Sic vos, cùm omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Ubi Christus

(ut

(ut & nos) Argumentum sumit, quod *Ad hominem* dicitur in Scholis: quasi constituere vellet homines ipsos sibi judices, *Quis*, inquit, *vestrûm?* Deinde, servi cujuslibet ingenium quale esse debeat (si verum fateri velit) innuit, dicens, *Quod debui feci*, scilicet, arando, ministrando, & alia servi munera obeundo, prout Dominus mihi in mandatis dederit: quæ officia licèt grata sint Domino, ego tamen ingratus, si mihi ab eo hanc vel gratitudinis gratiam deberi existimem. *Nunquid* (inquit) *gratiam servo illi habebit? Non puto.*

2. *Idem Argumentum esse planè* Catholicum, *Patres docebunt.*

SECT. III.

Quanquam quid *Patres* dixi; quasi in re tam explorata operæ pretium sit in multorum Patrum testimonia operosiùs inquirere, cùm unus Chrysostomus instar universorum esse possit, præsertim in ea sententia, cui nemo refragari velit? Ille igitur in illa verba Christi, Matth. 7. 11. *Si vos, cùm sitis mali, nôstis bona dare filiis vestris, &c.* filiorum officium erga parentes suaviter edocens, [n] *Gratias agamus Deo*, inquit; *plùs enim nos, quàm liberi à parentibus amantur, amat. Quantum enim discriminis est inter malitiam & bonitatem, tantum est inter dilectionem Dei & parentum nostrorum.*

[n] *Chrysost. in Ephes. serm.* 19.

quorum unus ex Veteri Testamento, alter est ex Novo deprompius.

In Veteri, *scil.* Malach. 1. postquam Propheta acriter invectus esset in nefariam eorum profanationem, qui, retentis apud se animalibus sanis & integris, non nisi languida, marcida, & maculosa in sacrificium Deo offerebant, illos Dei nomine exprobrat, *Nónne hoc malum? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Si quis Pontificiorum fortasse hujus Argumenti vim non satis assequitur, consulat Jesuitam [m] Riberam: *Propheta argumentum est* (inquit) *à majori ad minus; quasi dixerit, Non audebis tu hac offerre duci tuo, & tamen mihi* [Deo tuo] *offerre audebis?* Sic ille. Summa itaque impietas est, non exhorrescere tantum contemptum & contumeliam Deo immortali inferre, quantum mortali duci imponere virum probum & modestum prorsus dispuderet.

[m] *In eum locum.*

Alterum ex Evangelio exhausimus, *viz.* Luc. 17. 7. *Quis vestrûm habens servum arantem, cui regresso ex agro dicat statim, Prodi & recumbe? imò nónne dicet, Ministra mihi usquè dum edero & bibero; & postea edito tu & bibe? Num gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ipse præcepit facere? Non puto. Sic vos, cùm omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Ubi Christus

(ut

(ut & nos) Argumentum sumit, quod *Ad hominem* dicitur in Scholis: quasi constituere vellet homines ipsos sibi judices, *Quis*, inquit, *vestrûm?* Deinde, servi cujuslibet ingenium quale esse debeat (si verum fateri velit) innuit, dicens, *Quod debui feci*, scilicet, arando, ministrando, & alia servi munera obeundo, prout Dominus mihi in mandatis dederit: quæ officia licèt grata sint Domino, ego tamen ingratus, si mihi ab eo hanc vel gratitudinis gratiam deberi existimem. *Nunquid* (inquit) *gratiam servo illi habebit? Non puto.*

2. *Idem Argumentum esse planè* Catholicum, *Patres docebunt.*

SECT. III.

QUanquam quid *Patres* dixi; quasi in re tam explorata operæ pretium sit in multorum Patrum testimonia operosiùs inquirere, cùm unus Chrysostomus instar universorum esse possit, præsertim in ea sententia, cui nemo refragari velit? Ille igitur in illa verba Christi, Matth. 7. 11. *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, &c.* filiorum officium erga parentes suaviter edocens, [n] *Gratias agamus Deo*, inquit; *plùs enim nos, quàm liberi à parentibus amantur, amat. Quantum enim discriminis est inter malitiam & bonitatem, tantum est inter dilectionem Dei & parentum nostrorum.*

[n] *Chrysost. in Ephes. serm.* 19.

nostrorum. Sic ille. Quisquámne verò filius bonæ indolis, paternam hæreditatem ob aliquod officium suum præstitum promeruisse jactitet? Utut verò hoc possibile fuerit, obtendere tamen *Meritum de Condigno ex æqualitate justitiæ* apud Deum, inter quem & parentes nostros Christianissimos nulla major esse potest proportio amoris & lenitatis, quàm est (ut Chrysostomus loquitur) inter *malitiam* & *bonitatem*; non sani esse hominis, nemo sanus dubitabit.

3. *Idem Argumentum omnino in* Ethicis *&* Moralibus *valere.*

SECT. IIII.

CUm fictæ similitudines parem vim habeant cum realibus, ut Logici tenent, ut etiam in Evangelicis Parabolis videre est; fingamus servum merita sua erga Regem venditantem, tanquam qui insignissimum honoris gradum ex *æqualitate justitiæ* à Rege velit *exigere*, quæ est *Meriti de Condigno* vera & propria definitio. Rex, prout id intellexerit, servum ad se advocari jubet, quem, ut primùm conspicit, sic exagitat: Tu verò, quem olim læsæ Majestatis reum, à morte ad vitam restitui; quem, infimæ sortis homuncionem, ad dignitatem provexi, quémque, licèt præclaris facinoribus (meis tamen impensis, subsidiis

fidiis, viribúsque) perfunctum, amplissimis possessionibus locupletavi; ità tamen, ut nisi præstitisses, actum esset de salute tua; Túne, inquam, ut tantum beneficium, ex æqualitate justitiæ, condignitate tua, tibi deberi sentias? Sic Rex subdito os occlusit: Quantò magis Deus immortalis homini de Meritis suis nimis sibi blandienti; ubi constiterit nihil eum habere, quod non acceperit; nec accepisse, nisi ex suppeditata accipiendi facultate; imò nè voluisse quidem accipere, nisi per gratiam eam quæ ex nolente facit hominem volentem; nec, cùm voluerit aut potuerit, maluisse tamen Deo inservire, quàm propriæ saluti consulere; aut, si id maluerit, nil Deum adjuvâsse tamen! Fac denique ex pacto eum bonum fecisse, at hoc bonum erat nihilominus ex jure debitum: atque propter remunerationem quoque, sed longè ultra *condignum*. Unde factum erit, ut præclara opera tanto arrogantiæ veneno infecta, non facta censeantur omnino.

Ejusdem Argumenti ex Ethnicorum *Scholis Philosophicis adumbratio.*

SECT. V.

ARgumentum καθ' ἧττον ϰ̀ μᾶλλον, *à minùs* (viz. *probabili*) *ad magìs*, Aristoteles disci-

 pulis

pulis suis tradidit: Hoc ad nostrum propositum Seneca accommodavit, qui cùm in cæteris Tractatibus suis alios omnes disciplinæ Ethicæ Professores, tum in hoc *de beneficiis* seipsum excelluit. Ubi de sole & luna, inter Ethnicorum deos numeratis, ut quid inter homines & deos istos intersit doceret, *Nostra*, inquit, *& horum conditio dissimilis: nam qui mihi prodest, ut prosit & sibi, non dedit beneficium; quia instrumentum utilitatis sua fuit. Sol tamen & luna etiamsi nobis prosint, non tamen in hoc prosunt, ut per nos prosint & sibi: quid enim nos illis conferre possumus?* Hanc rationem quam Doctor hic Ethnicus in patrocinium falsorum deorum profert, eandem ex parte Dei veri, adversus fastidiosam de Meritis hominum superbiam, antiqui Patres sæpius inculcârunt; ut suprà videre est.

Deinde beneficiorum exquisitus æstimator idem Seneca, benefaciendi proprietates describens, *Beneficiorum maxima sunt*, inquit, *quæ in nescientes, & interdum nolentes conferuntur.* Et rursus, *Dii sua munera, sine intercessione nostra, diebus & noctibus fundunt.* Denique in præcipuis beneficiis requirit, ut ea accipienti *necessaria, utilia, jucunda,* & *mansura* sint. Sic ille de beneficiis sublunaribus duntaxat, qui, si per Dei gratiam in Schola Christianorum institutus fuisset, & intellexisset gratias infinitas per Christum Jesum in nos collatas, beneficia,

neficia, inquam, ex mero Dei beneplacito gratuita, primò, ut ad animæ & corporis redemptionem ex gehenna, tam *necessaria*; secundò, ut ad utriusque etiam in statu Gratiæ conservationem, tam *utilia*; tertiò, ut ad beatitudinem nostram conducentia, tam *jucunda*; & denique, ut ad æternitatem ipsam spectantia, tam *mansura*; hanc, inquam, Theologiam vir ille eruditus si unquam imbibisset, istam Pontificiorum de suorum Meritorum condignitate opinionem diris utique devovisset. Utinam non de Deo vero liceret nobis eandem querelam in Pontificios, hodiernos præsertim, suscipere, quam [o] Seneca pro diis falsis intorquebat in Ethnicos suos; *Multos æquos inveni erga homines, adversus Deum neminem.* Colophonem ex Cicerone attexam, ex quo colligere liceat quomodo animati Ethnici fuissent, si quidem doctrinam de gratuitis Dei donis erga nos spiritualiter gustum aliquem hausissent: *Hoc quidem* (inquit [p] Cicero) *omnes mortales sic habent, Externas commoditates, prosperitatemque vitæ à diis se habere: virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum rectè. Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, si id donum à Deo, & non à nobis haberemus. At verò, aut honoribus aucti, aut aliquid nacti fortuiti boni, aut si malum depulimus, cùm* diis

[o] *In Epist.*

[p] *Lib. 3. de Natura deorum, pag. 160.*

pulis suis tradidit: Hoc ad nostrum propositum Seneca accommodavit, qui cùm in cæteris Tractatibus suis alios omnes disciplinæ Ethicæ Professores, tum in hoc *de beneficiis* seipsum excelluit. Ubi de sole & luna, inter Ethnicorum deos numeratis, ut quid inter homines & deos istos intersit doceret, *Nostra*, inquit, *& horum conditio dissimilis: nam qui mihi prodest, ut prosit & sibi, non dedit beneficium; quia instrumentum utilitatis suæ fuit. Sol tamen & luna etiamsi nobis prosint, non tamen in hoc prosunt, ut per nos prosint & sibi: quid enim nos illis conferre possumus?* Hanc rationem quam Doctor hic Ethnicus in patrocinium falsorum deorum profert, eandem ex parte Dei veri, adversus fastidiosam de Meritis hominum superbiam, antiqui Patres sæpius inculcârunt; ut suprà videre est.

Deinde beneficiorum exquisitus æstimator idem Seneca, benefaciendi proprietates describens, *Beneficiorum maxima sunt*, inquit, *quæ in nescientes, & interdum nolentes conferuntur.* Et rursus, *Dii sua munera, sine intercessione nostra, diebus & noctibus fundunt.* Denique in præcipuis beneficiis requirit, ut ea accipienti *necessaria, utilia, jucunda, & mansura* sint. Sic ille de beneficiis sublunaribus duntaxat, qui, si per Dei gratiam in Schola Christianorum institutus fuisset, & intellexisset gratias infinitas per Christum Jesum in nos collatas, beneficia,

neficia, inquam, ex mero Dei beneplacito gratuita, primò, ut ad animæ & corporis redemptionem ex gehenna, tam *necessaria*; secundò, ut ad utriusque etiam in statu Gratiæ conservationem, tam *utilia*; tertiò, ut ad beatitudinem nostram conducentia, tam *jucunda*; & denique, ut ad æternitatem ipsam spectantia, tam *mansura*; hanc, inquam, Theologiam vir ille eruditus si unquam imbibisset, istam Pontificiorum de suorum Meritorum condignitate opinionem diris utique devovisset. Utinam non de Deo vero liceret nobis eandem querelam in Pontificios, hodiernos præsertim, suscipere, quam [o] Seneca pro diis falsis intorquebat in Ethnicos suos; *Multos æquos inveni erga homines, adversus Deum neminem.* Colophonem ex Cicerone attexam, ex quo colligere liceat quomodo animati Ethnici fuissent, si quidem doctrinam de gratuitis Dei donis erga nos spiritualiter gustum aliquem hausissent: *Hoc quidem* (inquit [p] Cicero) *omnes mortales sic habent, Externas commoditates, prosperitatemque vitæ à diis se habere: virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum rectè. Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, si id donum à Deo, & non à nobis haberemus. At verò, aut honoribus aucti, aut aliquid nacti fortuiti boni, aut si malum depulimus, cùm* diis

[o] *In Epist.*

[p] *Lib. 3. de Natura deorum, pag. 160.*

diis gratias agimus, tum nihil laudi nostra assumptum arbitramur. Num quis, quòd bonus vir esset, gratias diis egit unquam? At quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis. Hæc ille. Videtísne, ô Romanenses, Ethnicorum Romanorum indolem, nihil ut meriti gloriolæve sibi arrogent de ullo dono sibi à Deo collato?

Ejusdem veritatis ex Jesuitarum nonnulla confeßione evictio.

SECT. VI.

p *Enchirid. Tract. de Meritis, cap. 7. § Quinta est.*

q *Ibid.* § Ex his, &c.

p COsterus Jesuita, cujus nomen inter Jesuitarum primarios claruit, Papisticam condignitatem totis propugnat viribus, & quæstione hùc illùc agitatâ ac vexatâ, postquam definiebat Meritum de Condigno *niti æqualitate justitiæ, quæ Commutativa vel Distributiva sit,* & revera q *ad utramque justitiæ partem aliquo modo pertinere;* tandem eò est redactus angustiarum, ut coactus sit profiteri in verba sequentia, *Propositio tertia est, Inter Deum & homines non potest, qualis inter homines, exacta justitia intercedere.* 1. *Quia non potest Deus eo modo debere nobis, ut, misericordi gratiâ suâ sepositâ, ex re aliqua remaneat nobis obligatus.* Cujus tres rationes reddit. Prima, *Quia factura ejus sumus, qui omni ex parte nos fecit & poßidet, & cujus sunt omnia nostra.* Hæc ratio

tio de creatione & præservatione loquitur. Secunda, *Quia cùm aliis innumeris beneficiis nos sibi devinxerit, tum pretio sanguinis vitaq; sua nos emit.* Hæc ejus ratio beneficium redemptionis commonstrat. Tertia, *Quia & Gratiam quâ operemur, & ipsum Cælum mereri detur, accepimus à Deo, QVI OPERATVR IN NOBIS ET VELLE ET PERFICERE, PRO BONA SVA VOLVNTATE, Phil.2.13.* Hæc ille. Quid autem magìs facere potest ad prodendum horum hominum stuporem egregium, suámq; *meritoriam condignitatem* jugulandam; quàm cùm confitentur *non exactam justitiam intervenire inter Deum & homines, qualis inter homines ipsos intercedit*, & nihilominus *Meritum De Condigno ex absoluta æqualitate justitiæ* definiunt, quale homines ipsi inter se, hujusmodi casibus, abhorrerent agnoscere?

Deinde, rem hanc similitudo alia, quæ apud eundem Jesuitam in eadem sectione habetur, illustrat: *Pecunia Dei est* (inquit) *quâ quippiam ab ipso mercamur, hoc est, Gratia Dei, in qua tota meriti nostri ratio consistit. Quamobrem sicut non est perfectam justitiam statuere inter mendicum à divite quopiam ementem domum, & divitem ipsum; quia mendico quidem vendit ædes justo pretio, sed pecuniam interim gratìs dat, quâ mercetur eam: Ità nec inter Deum & nos; quia & Gratiam quâ operemur, & ipsa*

opera quibus cœlum mercari & mereri dicamur, accepimus à Deo. Hæc ille, ubi agitur de Merito de Condigno, secundùm justitiæ æqualitatem. In qua similitudine, qui ex pecunia emptoris sibi à venditore gratis datâ *propriè dictum Meritum de Condigno* elicere conabitur, cur non febricitantis insomnium somniâsse existimetur, equidem non video.

Altera erit conclusio Jesuitæ [t] Vasquezii: *Is qui equum promittit* (inquit) *pro pecunia exigui valoris, non propterea auget pretium & valorem pecuniæ, pro qua illum est pollicitus: sed eodem modo excederet illud, quod ex promisso daretur, illud minimum pretium, ac si pactum nullum intercessisset. Et propterea excessus illius rei, quæ redditur ex promissione pro parvo pretio, potiùs donatio judicatur, quàm pretii compensatio & venditio.* Sic ille. Qua confessione Pontificiorum munimentum maximum Meriti de Condigno, quod *pactum* dicitur, dejectum corruit. Qui in his similitudinibus causæ nostræ firmamentum non videt, nihil illi aliud dicam, quàm illud proverbiale, τὸ τυφλῷ ἐξ χρώματος Sed majora molimur.

[t] *In* 1. 2. *Tom.* 2. *disp.* 214. *cap.* 5. *num.* 26.

CAP.

CAP. XVII.

Decimum nostrum Argumentum, ex parte Christi merentis, adversus Pontificiorum ultimum propugnaculum, seu potiùs latibulum defensionis suæ:

viz.

Christum meruisse nobis virtutem merendi vitam æternam.

Quæstionis status de nostra virtute merendi ex Meritis Christi.

SECT. I.

PRotestantes ex Meritis Christi propriis opera nostra bona grata & accepta Deo reddi fideliter credunt, & palàm constanterq; profitentur: Pontificii verò, propriis Meritis Christi diffisi, (ut statim patebit) suam peculiarem merendi virtutem, tanquam ex ejus Meritis sibi indultam, comminiscuntur. Adversarios ipsos audiamus æquum est. [f] Stapletonus, *Christus*, inquit, *nobis meruit virtutem merendi.* A qua cantilena [t] Bellarminus didicit illam suam, *Merita nostra innituntur*

[f] *Lib. 2. de Justif. c. 10.*
[t] *Lib. 5. de Justif. c. 17.*

Meritis Christi, qui nobis meruit virtutem merendi. Hos, velut assecla, comitatur [x] Costerus. Redit denuo [y] Bellarminus, & recoctam cramben apportat: *Meruerunt* (inquit) *Christi opera apud Deum, non solùm ut salutem consequeremur, sed etiam ut eam per merita propria consequeremur.* Sed ut omnes intelligant, eos hunc speciosum prætextum *Meriti Christi*, veluti larvam, sibi induere, quâ pueris fucum faciant, & ex hoc titulo, tanquam ex poculo aureo, exitiale venenum *condignitatis suæ meritoriæ* lectoribus propinent; nos hoc erroris mysterium, Deo adjuvante, discutiemus & detegemus.

[x] *Enchirid. Tract. de Meritis, cap.7.*

[y] *Lib.5.de Justif.c.5.* § At inquiunt, &c.

Argumentatio adversus Pontificiorum commentitiam virtutem merendi.

SECT. II.

OMne dogma sacrilegum, & propriis Christi Meritis derogatorium, est execrabile: At hæc Pontificiorum opinio de sua virtute Merendi, ex prætextu quòd eam Christus illis meruerit, est dogma propriis Christi Meritis derogatorium: Est ergò execrabile.

Minor (nam de Majori nulla lis erit) per Theologicas rationes, per Patrum antiquorum sententias disertissimas, per ipsius deniq; Romanæ Ecclesiæ judicium & praxin munietur

etur & confirmabitur. Institutum nostrum per Theses prosequemur, quarum aliæ directè, aliæ obliquè & ex consequente, istud Pontificiorum portentum impugnant.

Contra Pontificiorum dogma

I. Thesis.

Sunt variæ Christi virtutes Excellentiæ, *quas mero homini tribuere, est sacrilega præsumptio.*

SECT. III.

Recensebimus varias species earum, quæ dicuntur *Virtutes Excellentiæ Christo propriæ*, ex Pontificiorum ipsorum confessionibus. Primò, (ut in Tractatibus suis Suarez) *Ad virtutem Excellentiæ Christo propriæ pertinet, habere potestatem ad redimendos homines, & animos illuminandos*: Secundò, *miracula per se facere.* Hujus specimen habemus, ubi de miraculo *à se*, sed non *per se* facto, agnovit Petrus, *Non nostra potentia, &c.* Act. 3. 12. Tertium genus virtutum cernitur in Sacramentis. Quorum *causam primam Deum esse, vel quatenus gratiam conferant, vel infallibilitatem significent; secundam causam esse Christum ut hominem, quia Christi humanitas conjuncta est cum Divinitate hypostaticè*, fatetur [a] Cardinalis: *Est & hæc* (inquit) *potestas Excellentiæ.* Idem dici

[a] Bellarm. de Sacramentis in genere, lib. 1. cap. 23. § 1.

V 3 potest

potest de quarto genere potestatis, nempe *judiciariæ: quæ est Christo propria* (inquit [b] Suarez) *pariter ad præmium & pœnam*. Cui quintum genus adjungimus, *mediationis:* de quo orthodoxè admodum [c] Cardinalis, *Proprium est Christo, ut per ejus Merita petamus aliquid immediatè à Deo; ipse enim solus est immediatus Intercessor noster apud Deum*. Hactenus Pontificii Doctores, partim de *Regia*, partim de *Prophetica*, partim etiam de *Sacerdotali* potestate Christo propria, non obscurè fatentes hasce potestates *excellentiæ* esse usquè adeò Christo peculiares, ut eas alicui creatæ naturæ tribuere, esset Christum novum fingere, & verum Christum juribus suis spo[illegible].

[b] *Tom.* 2. *disp.* 30. § 15.
[c] *Lib.* 2. *de Missa, c.* 8. § Ad aliam

II. Thesis.

Multas esse virtutes Christi etiam* Meritorias, *quæ sunt* excellentiæ, *quas nemo absque impietate usurpare queat.

SECT. IIII.

Testimonia Pontificiorum ejusmodi producemus, quæ instituto huic nostro potissimùm inserviant. Primò, [d] *Nullus præter Christum potest mereri aliis gratiam*. Secundò, *Solus Christus hanc gratiam habet, quâ meritis suis gratiam & gloriam mereatur*. Tertiò, *Christus*

[d] *Bellarm. lib.* 5. *de Justif. c.* 21. *& lib.* 1. *de Justif. c.* 2. § Est autem.

stus est causa meritoria justificationis nostræ, quoniam pretium redemptionis exactè persolvit, & ex rigore justitiæ (ut Theologi loquuntur) pro nostris omnium sceleribus satisfecit. Hæc Cardinalis; ubi loquitur de *solo Christo.* Hujus generis instantias alias multas adferemus infrá. Sed hæ jam propositæ hoc consectarium esse subindicant, nemine refragante, nimirum, sacrilegii se scelere astringere, si quis meritorias virtutes, Christo proprias, sibi vendicaverit.

III. Thesis.

Per dogma suum de Condigno, *Pontificii virtutem* excellentiæ meritoriæ *Christo propriam usurpant.*

SECT. V.

Meritum de Condigno (ex ipsorum Pontificiorum definitione & explicatione superiori) est *opus bonum, quod secundùm æqualitatem justitiæ absolutæ, ex ejus dignitate potest præmium vitæ æternæ, ex rigore, exigere apud Deum.* Tale verò Meritum esse opus *excellentiæ*, adeóque Christo θεανθρώπῳ proprium, rationibus perquam necessariis evincemus, partim in hac, partim in subsequentibus sectionibus.

Ratio prima. Opus ex tali justitiæ æqualitate

litate condignum vitâ æternâ apud Deum, est opus *excellentiæ*; quoniam est necessariò infinitæ virtutis; tum quia Deus, apud quem homo *mereri* & *exigere* eam dicitur, est persona infinitæ Majestatis; tum etiam quia ipsa vita æterna, quæ isti Merito retribuitur, est infinitæ durationis. Huic rationi admodum consonat, de quæstione alia, Suarezii Jesuitæ consequentia: *An*, scilicet, *Veteris Testamenti Patres sese condignè disposuerint, ut essent condigni progenitores Christi*. Respondet [e] Suarez, *Nullus audebit dicere eos id meruisse de condigno; quia hoc bonum est alterius ordinis, ad quod gratia naturâ suâ non ordinatur, & quodam modo est infinitum bonum excedens proportionem meriti puræ creaturæ*. Sic ille. Quomodo distat hæc ratio à nostra, quæ non tam similis est, quàm prorsus eadem? Præterea nostra ratio confirmatur ab Augustino, (suprà, cap. 14. sect. 3.) qui docet, (si res ex proportione æstimatur) de passione martyrum, *Præmium æternum* (modò possibile esset) *non nisi æterno labore comparandum esse*.

[e] *Tom.* 1. *disp.* 10. *Sect.* 7. § Dices; Posset &c.

Ratio secunda. Cùm, apud Pontificios, eadem sit virtus hominis in merendo, atque est in satisfaciendo apud Deum, ex doctrina eorum de satisfactione facile erit elicere meritum, quod venditant esse *Virtutem Excellentiæ*. Ubi Protestantes contra doctrinam eorum de satisfactione objiciunt in hunc modum:

dum: Si nos jure satisfacimus apud Deum, cùm etiam applicatur nobis satisfactio Christi; (ut Pontificii tenent) tum istæ aut duæ sunt satisfactiones, vel una: Si duæ, tum eadem culpa bis punitur: Si verò una, tum vel ea nostra est, aut Christi: Si Christi, tum nos non satisfacimus: Si nostra, tum vel Christi satisfactionem excludimus, vel cum Christo honorem dividimus. Sic Protestantes: Et ad hanc rationem, nostrâ quidem opinione solidam omnino & irrefragabilem, responsum efflagitant. Attendite: Extant Cardinalis responsiones; [f] *Duæ sunt* (inquit) *satisfactiones, sed una ab altera dependens. Sed probabilior responsio est, esse unam.*

[f] *Bellarm. lib. 1. de Purgatorio, cap. 10.* § Secundus est, &c.

Quàm misera est hæc hallucinatio, Responsiones duas ingerere, eásque invicem repugnantes, sed maximè veritati ipsi! Quia licèt satisfactio Christi sit satisfactio *imputativa* Petri, quia pro Petro exhibita, propterea quòd noster Secundus Adam sustinuit personam totius humani generis; tamen satisfactio Petri *personalis* non potest magis esse Christi satisfactio, quàm Petrus potest esse Christus. Quid verò, an Pontificii omnes pariter desipiunt? Imò verò, *Theologi Lovanienses* (fatente [g] Cardinale) *docuerunt passiones Sanctorum non esse justas compensationes pro pœnis quas nos debemus Deo, hoc est, veras satisfactiones.* Nec mirum: Nihil enim in-

[g] *Bellarm. lib. 1. de indulgentiis, cap. 4.* § Sexta objectio.

justius, aut à religione magis abhorrens, quàm Divinum Christi Θεανθρώπου sanguinem, peccatorum omnium expiatorium, cum humana fæce peccabili, in eadem satisfactionum remuneratione commiscere. Dein, quàm ridiculum est, eas satisfactiones negare esse duas, quarum si una sufficiens sit, alteram supersufficientem & supersatisfactoriam esse necesse est!

[h] *In Evang. Hom. 22.*

Hæc figmenta Adversariorum [h] Gregorius Pontifex, si nunc in vivis esset, ex animo execraretur: cujus erat hæc sancta & Divina professio; *Ipsa Redemptoris nostri passio longè est diversa à nostra:* (nempe illâ quam martyres sustinent) *quoniam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus.* Quibus verbis, nec duas satisfactiones unam esse patitur, nec nostram, quæ est *cum culpa*, satisfactionem esse pro pœna. Ergò commeritoria vestra virtus ad consequendam vitam æternam, ex condignitate vestri operis, quæ erat Christi sanguinis pretio empta, nihil aliud est quàm Meriti Christi absolutissimi fœda conspurcatio.

IIII Thesis.

Pontificios, ut suam merendi virtutem statuant, verè propria Christi merita nequiter excludere.

SECT. VI.

EXactam & accuratam dogmatis Pontificii explicationem tradidit, præ cæteris, Vasquez Jesuita; quæ omnes amphiboliæ technas tollat, tenebrásque dispellat: ex qua omnibus perspicuum fiat, Per hoc eorum figmentum virtutis suæ merendi ex seipsis, vera & propria omnia Christi merita, quibus opera nostra nósque ipsi grati Deo facti simus, penitus excludi. Exempli gratiâ,

1. Si ab eo quis quærat, an ex propriis Christi Meritis opera nostra gratiam apud Deum obtineant; negabit: [i] *Dici non potest* (inquit) *opera nostra crescere in dignitate ex persona Christi: Quoniam, aut hoc fieret, quòd Deus favore Meritorum Christi acceptat opera ad majorem gloriam, quàm aliàs haberent: at non hoc; quia opus, aliàs non dignum, non potest fieri dignum magìs, quàm aliàs esset, solo extrinseco favore, quamdiu in se non mutatur, &c.* His positis, si quis Vasquem interroget, utrùm quicquam ad dignitatem operum nostrorum valeat, quòd Christus sit Caput nostrum; negabit: [k] *Non ut opera nostra* (inquit) *sint magìs digna*

[i] Vasquez in 1.2. Tom.2. Disp.214. cap.7. num. 44.

[k] Idem ibid.

digna ex eo, quòd Christus est Caput nostrum, & ità nos eadem reputamur persona cum eo, & propterea dicitur Christus offerre opera nostra tanquam propria, & sic digna sint vitâ aeternâ. — Caeterùm nec hoc modo defendi potest hoc augmentum dignitatis in nostris operibus; quoniam opera nostra dicuntur accipere dignitatem à persona, à qua proximè procedunt. — Alioqui sequeretur, opera nostra infiniti esse valoris, eò quòd, quatenus procedunt à Christi Gratia, ipsi Christo tanquam Capiti tribuuntur.

2. Mos hic obtinet apud homines, ut ex favore Regis erga *Titium*, gratia ejus in *Sempronium* quoque conferatur: Quaeritur num eadem ratio valeat apud Deum: Negabit [l] Vasquez: *Nec dicimus* (inquit) *gratiam justificantem, eò quòd à Christo nobis donatur, magìs gratos nos facere Deo, aut opera nostra; sicut inter homines fit, apud quos res* (*ut annulus*) *à Rege donata magìs grata est, quia à nobiliori persona donatur. Apud Deum autem justitia & sanctitas intrinseca magìs eos gratos facit suâpte naturâ, ex eo quod in se est, & non ex favore extrinseco.*

[l] *Ibid. num.45.*

3. Petimus utrùm virtutem propriorum Meritorum Christi hîc intercedere necesse sit: [m] Negabit: *Cùm opera justorum* (inquit) *condignè mereantur vitam aeternam, tanquam aequalem mercedem, non opus est interventu alterius meriti condigni, quale est meritum Christi, ut eis reddatur vita aeterna: quinimo habet peculiare aliquod*

[m] *Idem ibid. disp. 222. cap. 3. num. 30.*

quod meritum hominis justi, respectu ipsius, quod non habet meritum Christi; nempe, reddere hominem justum & dignum vitâ æternâ, ut eam dignè consequatur. Et rursus; *Nostra autem merita ità sunt perfectè meritoria vitæ æternæ, ut haud dignè denegari possit: ergò frustra intercederent iterum merita Christi, ut illis æterna vita tribueretur.*

4. Si fortè nos absolutè & formaliter justos quis dixerit per justitiam Christi satisfactoriam, quâ absoluti simus à peccatis, & opera nostra acceptationem obtineant apud Deum; & roget, quid Vasquez sentiat; negabit: [n] *Meritum autem Christi* (inquit) *licèt dignissimum sit quod obtineat pro nobis gloriam à Deo; tamen non habet hanc efficaciam & virtutem, ut reddat nos formaliter justos, & dignos vitâ æternâ, sed per virtutem ab ipso derivatam hunc consequuntur effectum homines in seipsis; & ità nunquam petimus à Deo per merita Christi, ut nostris dignis & meritoriis operibus reddatur merces vitæ æternæ; sed, ut per Christum detur nobis ea gratia, per quam dignè possimus vitam æternam promereri.* Tandem festinat ad conclusionem: * *Merita nostra* (inquit) *eam vim habent, ut reddant nos formaliter dignos vitâ æternâ;—sed Christus dignus est qui propter illa nobis impetret, quicquid ipse pro nobis petierit. Frustra igitur videtur hæc posterior imputatio sub duplici titulo dandi vitam*

[n] *Vasquez quo suprà, num.30.*

* *Num. 32.*

æternam: siquidem nobis, quibus donanda est, per merita nostra inest dignitas talis præmii; ac proinde vita æterna est merces nostra, ratione dignitatis operum nostrorum, non autem ratione dignitatis operum Christi. Hactenus Vasquez. Idcirco quæ potest esse execrabilior derogatio à meritis Christi propriis, quàm, homines ex fictitia merendi virtute ità condignitatem suam defendere, ut propria Christi virtus constituendi nos gratos apud Deum, ut propria ejus virtus sufficienter operandi in nobis actus bonos, ut virtus quoque ejus absolutè supplendi nostros necessarios defectus, quâ coram Deo gratiores habeamur, ut virtus ejus quâ jus hæreditarium obtineamus ad regnum cœleste; ut hæ, inquam, singulæ virtutes, quæ sunt in Christo absolutissimæ, meritorum nostrorum condignitate penitus extrudantur? Hactenus adversus Pontificiorum sacrilegam audaciam; (nam rationes alias singulæ sectiones sequentes suppeditabunt abunde) nunc Protestantium causa asserenda est, nè ejusdem criminis sacrilegii nos Adversarii insimulent, cujus illos reos esse jam deprehendimus.

Prov-

Protestantium contraria doctrina ab adversariorum calumniis vindicatur.

V THESIS.

Negare Christum meruisse nobis virtutem Merendi, non est detrahere à Christi Meritis: Et est hac veritas Principiis Theologicis maximè consentanea.

SECT. VII.

PLurima esse genera operum etiam Meritoriorum *excellentiæ*, in quibus nemo absque nefaria impietate prætexere possit Christum nobis meruisse virtutem merendi, Adversariorum nostrorum confessiones prolixè testantur. (suprà in hoc capite) Primum genus est eorum, quæ extra nos sunt; *Solus Christus potest mereri gratiam aut gloriam: Solus potest persolvere pro nobis redemptionis pretium quod ex rigore justitiæ requiritur.* Secundum eorum, quæ ad justificationem nostram pertinent, Adversarii ipsi fatentur, • *Ex meritis Christi nos habere justificationem & dispositiones ad eam, ut fidem, orationem, contritionem, dilectionem, quæ singula Deus nobis denegare posset, quia ante justificationem sumus indigni. Sic Christus nobis*

• *Vasquez in 1.2. Tom. 2. disp. 222.*

bis meruit auxilium gratiæ prævenientis & operantis primum motum voluntatis. Hactenus Vasquez. Quæ singula Merita ità faciunt Christo propria, ut non modò atrocem injuriam Christo factam esse sentirent, si quis diceret Christum nobis meruisse virtutem de Condigno merendi pro aliis *gratiam* aut *gloriam*, aut dispositiones ad justificationem: verùm etiam in eum, (nec immeritò) tanquam profanum temeratorem prærogativæ Christi, acerbè inveherentur. Tantùm igitur abest, ut nos, negando istam Papisticam Merendi virtutem, aliquid de Christi veris ac propriis Meritis detractum aut delibatum velimus; ut planè jam constet, contrarias affirmationes Papisticas ejusdem impietatis convinci.

Majoris confirmationis gratiâ, hîc lubet in Vasquis confessione * superiori insistere: *Si concedamus* (inquit) *opera nostra à Deo remunerari ultra ipsorum dignitatem, planè consequitur, illam accessionem remunerationis nobis donari intuitu Meritorum Christi, non autem intuitu nostrorum operum.* Hæc Jesuita. Ergò intuitus dignitatis operum nostrorum, quoad Meritum, cum dignitatis Meritorum Christi intuitu non potest consistere: tantóq; minùs, quòd ex antiquorum Patrum communi consensu suprà edocti fuimus, (cap. 14. sect. 3.) Essentialem beatitudinem, omnem actionum atque etiam passionum nostrarum dignitatem superare.

* *Vide cap. 14. sect. 1.*

VI THE-

VI Thesis.

Bonum opus, ut nostrum, extenuare, est revera Dei Gratiæ gloriam amplificare.

SECT. VIII.

PLùs valet opus ad amplificandam Dei gloriam, quò plus ejus bonitati, & potentiæ tribuitur. At cùm Pontificii in cooperatione boni operis partem potiorem sibi arrogent: Protestantes opus bonum, quatenus *bonum*, Deo in solidum ascribant, tanquam donum ejus spirituale & supernaturale, & quidem gratuitum, ità ut non possit esse Meritorium apud Deum. Proinde dogma hoc, quod statuit Christum meruisse nobis virtutem Merendi, tam est utique absonum, absurdum, ac planè impium, ac si asseruerint, Christum meruisse à Deo, nè Christiani, absque opinione Meritorum suorum, spiritualia, supernaturalia, & gratuita ejus dona agnoscant.

Enimvero, inquient, Meritorum nostrorum dignitatem hoc pacto minuere, erit Christi quoque erga nos Gratiam extenuare. Imò vero, inquam, non magìs, quàm Spiritus Sanctus gloriam Dei deprimit per istas [illegible], & extenuationes, quæ frequenter admodum in Scripturis occurrunt: *viz.* in re militari, post adeptam victoriam, *Non nobis, Domine, non*

non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Psal. 115. 1. quamvis tamen illi fortiter & animosè pugnâssent: Item in opere miraculoso Petrus, *Non hic nostrâ virtute ambulare factus, sed in nomine Jesu*, Act. 3. 12. & tamen Petrus verba sanandi proferebat: Necnon in functione Ecclesiastica Paulus, *Non ego, sed Gratia Dei mecum*, 1.Cor.15.10. quanquam & ille tunc se *laborâsse* asserit, etiam *plùs omnibus:* Denique in re maximè spirituali, quæ est ipsa inhærens sanctificatio, idem Apostolus, *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*, Gal. 2. 20. Et rursus, *Gratiâ Dei sum quod sum*, 1. Cor. 15. 10. Hoccine verò erat virtutem Dei obfuscare aut obscurare, & non potiùs magnificè illustrare?

VII. Thesis.

Modum obtinendi vitam æternam à Protestantibus propositum, extollere; *alterum verò à Pontificiis jactatum*, extenuare *&* *reverâ* tollere *gloriam Meritorum Christi.*

SECT. IX.

DUo sunt in quibus de crimine derogationis à Gratia Christi Pontificios postulamus: unum est contra Gratiam Christi *meritoriam*: alterum, contra Gratiam ejus *operantem.*

tem. Quæ ut clariùs omnibus innotescant, (Quemadmodum ex collisione lapidum ignis, ità ex diversarum opinionum collatione veritas elicitur) à Gratia Christi *Meritoria* ordiemur. Cùm agitur de extrinseca Christi justitia Meritoria, eam Pontificii excludere à sufficienti justificatione nostra non dubitant: quam nos *imputativam* dicimus. Sed malim Vazquis Jesuitæ, de sententia nostra, confessionem Lectori tradi, quàm ullam asseverationem meam. [p] *Dona gratiæ Dei,* (inquit) *tam auxilii excitantis, & adjuvantis ad promerendam vitam æternam, quàm gratiæ & justitiæ inhærentis ad eluendas maculas peccati, nobis omnia propter merita Christi dantur, atque non possumus non aliquam applicationem & imputationem meritorum Christi circa singula agnoscere: quam sanè Hæretici nostri temporis* (Protestantes vult) *ingenuè fatentur, nisi quòd, ut dignitatem horum donorum* [scilicet inhærentis justitiæ] *extenuent, usquè adeò hanc imputationem meritorum Christi* [nempe quæ sunt Christo propria] *nobis extollunt, ut existiment justitiâ eorum, non autem justitiâ nobis inhærente, tanquam formâ nos justificari; & eis etiam, non autem operibus nostris, nos mereri coram Deo.* Hanc ille confessionem edidit, quâ apertissimè fatetur verum discrimen inter nos & Pontificios in eo consistere, quòd Protestantes nulla admittentes Merita nostra ex inhærente justitia, tantùm ipsius

p *In 1. 2. Tom. 2. disp. 222. cap. 1. sect. 1.*

Christi meritis nitantur, tam quoad *gratiam*, quàm quoad *gloriam* obtinendam apud Deum, Contrà, Pontificii, posthabitis Christi meritis, in suorum Meritorum condignitate acquiescant. Res igitur jam in confesso est: Protestantes extenuare dignitatem operum suorum, negando ea esse Meritoria, ut propria Christi merita extollant. Quid mirum igitur est, si Protestantes à pseudo-catholicis *Haeretici* appellentur? Hactenus rationibus causam nostram confirmavimus, quae nunc Patrum antiquorum suffragiis corroboranda est.

Ad Patrum antiquorum consensum, tanquam Ecclesiae Catholicae judicium, provocamus.

I. Thesis.

Dogma illud de virtute nostra merendi, *tanquam ex Meritis Christi, unanimi Antiquitatis consensu, tanquam turbine, prosternitur & labefactatur.*

SECT. X.

JUdicium consulimus tam Catholicae, quàm Romanae, Ecclesiae: sed primò ac praecipuè de Patrum testimoniis inquirimus, quorum quidem Argumenta nobis, pro causa nostra, insolubilia esse videntur.

Primum

Primum Argumentum, quod ex Patribus deprompsimus, est, Quòd illi Bonum opus omne, quatenus *bonum*, Dei donum esse testati sunt: ex quo nonnulli eorum concluserunt, primò, *Neminem dignum esse vitâ æternâ*; secundò, *Dona esse tam eorum opera, quàm præmia*; tertiò, *Ea dona esse Dei, ac proinde non habere remunerationem ex debito*; & similia. Patres quos citavimus (cap. 8.) sunt Augustinus, Chrysostomus, Bernardus, Origenes, respectivè.

Secundum Patrum Argumentum: Cùm Adversarii *Meritum de Condigno* esse definiunt, primò, quatenus est *opus bonum à libero arbitrio profectum*; deinde, quatenus *facit Deum propriè debitorem:* contra primum Patres docuerunt, primò, *Homines dando egentibus magìs Deo obstrictos esse*; secundò, *Non debere nos extollere, vel omnia faciendo, quia nihil magni facimus*; tertiò, *Væ, nisi faciamus*; quartò, *Plura deesse, quæ non fecimus*; quintò, *Non labore merita pensitanda esse*. Pro his produximus Chrysostomum, Theophylactum, Bernardum, & Bedam. (cap. 9.) Deinde, quod ad alterum, primò, *Non debere nobis Deum accipiendo quid, sed promittendo*; secundò, *Nullum opus nostrum facere Deum debitorem*; tertiò, *Imò ex nostro opere bono nos factos esse Deo debitores*; quartò, *Vitam æternam nobis ex jure non deberi.* Hæc Augustinus, Origenes, Basilius, Chrysostomus,

ſoſtomus, Beda, & Bernardus, reſpectivè. (ſuprà, cap. 11.)

Tertium Argumentum eſt, quo indignitatem operantium obſervant atque deplorant, contra defenſionem Meriti de Condigno, cui Adverſarii tribuunt *condignitatem ſecundum æqualitatem juſtitiæ* ad præmium cœleſte, quod nolunt ſibi ex acceptatione & miſericordia Dei concedi. In quo apertè contradicunt Patribus, qui *indignitatem noſtram* confitentes, *miſericordem Dei acceptationem* in remunerandis operibus juſtorum profitentur. Quæ utraq; iſti priſci Eccleſiæ proceres propriis phraſibus ſuis, quæ ſunt judiciorum ſuorum expreſſa Symbola, explicârunt. Primò, *Humiliet quiſq; ſe, quia poteſt incurrere crimen neſcius.* Secundò, *Acerrima erit judicii Divini exactio.* Tertiò, *Etiam tres pueri in fornace dicebant, Impietatem fecimus.* Et, *Quàm facile eſt gravibus peccatis implicari, quæ à nobis levia æſtimantur!* Quartò, *Nos tundamus pectus noſtrum, & dicamus, Domine, propitius eſto.* Quintò, *Juſtitia noſtra injuſtitia eſt ad examen juſtitiæ Divinæ deducta.* Sextò, *Nihil in nobis mundum aut innocens; Nulla ſufficiunt merita, niſi Deus miſericorditer defectus noſtros non reputet.* Septimò, *Non ſufficit opus Sanctorum ad gloriam conſequendam.* Octavò, *Semper deficiunt nobis bona ad quæ Sancti perſeverant.* De his copioſiſſimè Patres præallegati, ſuprà, cap. 10. ſect. 2. & infrà, cap. 20. ſect. 11.

Hæc

Hæc de primo genere. Sequitur de *Acceptatione* & *misericordiâ* in retributione, in hæc verba; Primò, *Retributiones propter solam dei benignitatem præstantur.* Secundò, *Justitia nostra non sufficit ad beatitudinem; Spes est in misericordiâ; Beati erimus dignatione Domini honorati.* Tertiò, *In illa die nullum opus nostrum dignum reperietur.* Quartò, *Opus dignum exhibere non possumus; Deus justos remuneratur in misericordia.* Quintò, *Non in meritis nostris, sed in misericordia coronamur.* Sextò, *Plùs attendas quæ desunt, quamvìs piè vivis; Justitia nostræ, ut pannus menstruatæ mulieris; Digni sumus, non dignitate nostrâ, sed dignatione Dei.* Patres qui ad primam partem loquuntur, allegati fuerunt, Ambrosius, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius Pontifex, Hilarius, Author operis imperfecti, & Beda. (cap. 10.) Pro posteriori, Basilius, Hilarius, Cyprianus, Hieronymus, Gregorius Pontifex, Bernardus, & Beda. (suprà, cap. eodem.)

Quartum Argumentum Patrum, Quia opera nostra Remuneratorem nostrum Deum nullo bono aut commodo afficiunt. A repetitione sententiarum libenter abstineo. Pro hoc Argumento laudamus inter Patres Gregorium, Nazianzenum, Chrysostomum, Basilium, Augustinum, Prosperum, Ambrosium, Tertullianum, (suprà, cap. 15.)

Quintum

Quintum Patrum Argumentum, Quia cùm Adversarii argutentur pro suo Merito de condigno, ex nomine *Mercedis* propriè accepto, Patres tamen, ubi de æterna vita agitur, *Mercedis* nomen comparatè rejecerunt, & propriè eam *Hæreditatem* esse statuerunt: *viz.* Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Fulgentius, Chrysostomus, Origenes, Marcus Eremita, Bernardus, ut videre licet suprà, cap. 3. sect. 2. & cap. 16. Quanquam nec habet vox *Merces* in se vim *Meriti*, ut ibidem probavimus.

Aliud Argumentum est, Quòd fatentur Patres, Æternam vitam esse supra omnem dignitatem operum; quorum loca referemus, ubi agetur de *martyrio:* (infrà cap. 18.) quæ erit convictio Adversariorum validissima. Interea ex his præmissis concludimus, Adversarios nostros, aut Patribus suprà nominatis singulis notam inscitiæ ac impietatis inurere oportere, quòd suam hanc virtutem *de condigno merendi* debellaverint atque convulserint: aut se, in ea propugnanda propagandáq;, impostores ac veteratores esse confiteri. In plerisque Argumentis testis Augustinus introducitur, quem partibus suis Pontificii adsciscunt.

Augustini

Augustini judicium in hac causa à Pontificiis objicitur, & à Protestantibus vindicatur.

SECT. XI.

PRima objectio. [q] *Ubicunque Augustinus merita damnat, loquitur de Meritis quæ ex nobis sunt, sine gratia Dei. In Epist.* 105. *ad Sixtum, Ipsa, inquit, vita æterna, quæ sine fine habebitur, & ideo meritis redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parta sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa Gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratìs datur; nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Et infrà; Cui debetur vita æterna, vera justitia est; si autem vera justitia est, non ex te est, sed à Patre luminum descendens.— Si ergò, ô homo, accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa justitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui deberetur.* Quid ex his? *Habemus ex hoc loco,* (ait Cardinalis) *nostram justitiam, cui redditur vita æterna, veram esse justitiam, ac per hoc esse verè Meritoriam.— Habemus deinde, Augustinum, cùm dicit vitam æternam non deberi ex meritis, sed gratìs donari, loqui de homine, quatenus est sine gratia & solis suis viribus operatur. Nam dicit Augustinus vitam æternam*

[q] *Bellarm. lib. 5. de Justif. c. 6.*

ut stipendium justitiæ reddi operibus, quæ homo per gratiam operatur. Hæc ille: qui nimiùm altercando veritatem amittit, non satis discernens statum Quæstionis. Nec enim negamus Bona opera ab Augustino *Merita* dici; sed, an ea dicantur *propriè Merita*, id est, *de Condigno*, id quæritur. *De Condigno* verò *Meritum* non est, nisi (ut Adversarii ipsi verè statuunt) *quod ex æqualitate justitiæ potest æternam vitam, tanquam sibi debitam, vendicare apud Deum.* Cui Augustinus, in locis citatis, vel maximè adversatur: nos igitur Augustini testimonium in Adversariorum pectora facilè retorquebimus.

Cui vita æterna non ut *debita* redditur, illud non est propriè Meritorium *de Condigno:* sed operi, facto in gratia, vita æterna non ut *debita* redditur: ergò non est illud opus bonum Meritorium *de Condigno.* Minorem Augustinus adstruit: sic enim de homine regenerato arguit, *Tibi æterna vita tanquam debita redderetur, si ex te esset justitia cui deberetur;* apertè indicans vitam æternam non esse *debitam.* Ubi (ut & alibi frequentissimè) eum agere de operibus in gratia factis, palàm est: & passim nos docet inter retributiones gratiæ Divinæ discernere, æquè ac in Psal. 102. in illa verba, *NOLI OBLIVISCI RETRIBUTIONES DOMINI: Nè sis superbus*, primò, *cùm peccator* (nempe extra gratiam) *vocatus es, ut justificareris;*

ficareris; secundò, *cùm tibi vires subministratæ sunt* (utiq; intra statum gratiæ) *ut in finem perseverares*; tertiò, *cùm Deus coronat te* (viz. in statu gloriæ) *in misericordia & miseratione.*

Sed justitiam nostram *veram* vocat. Antecedens hoc nos quoque fatemur: an igitur erit Meritoria *de Condigno?* Consequentiam hanc pernegamus. Nam illius fides, qui in hunc modum orabat, *Credo Domine, Adjuva infidelitatem meam*, vera utiq; fides erat, quamvis languida. Justitiam nostram pariter imperfectam esse, & quæ, ex se, coram judicio Divino consistere nequeat, passim docet Augustinus. Instantia una sufficiet: [r] *Charitas plenissima, quamdiu hic vivitur, est in nemine: quamdiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est: Ex quo vitio NEMO EST JUSTUS IN TERRA, QUI FACIAT BONUM, ET NON PECCET: Ex quo vitio NON JUSTIFICABITUR IN CONSPECTU DEI OMNIS VIVENS.* Sed fac eam perfectam esse; nihilominus negat ei deberi vitam æternam: ratio; *Quia justitia tua ex te non est, sed à Deo.*

[r] *August. in epist. 29. ad Hieronymum.*

Protestantium vindicatio, atque applicatio Sententiæ Augustini.

SECT. XII.

[s] AUgustinus; *Si intelligerent Pelagiani sic merita nostra, ut etiam ipsa dona Dei esse cognosce-*

[s] *Lib. de grat. & lib. arbitr. c. 6.*

cognoscerent, non esset improbanda eorum sententia. — Nam talia cogitanti verissimè dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua. Et alibi; *Non coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Hinc Bellarminus, *Ergò tantùm damnat merita quæ non sunt in nobis ex Deo.* Esto; veruntamen nunquam existimavit ea esse propriè dicta Merita, nè eorum quidem Sanctorum, qui ex gratia gloriosissimè operantur. Illéne enim ut somniaret unquam, ullum esse nostrum Meritum quod ex æqualitate justitiæ vitam æternam ex Condignitate & debito vendicet apud Deum, qui primò, vitam æternam justis *ex debito* reddi negat: secundò, qui non permittit Deum, nisi *promittendo*, debitorem esse: tertiò, qui vitam æternam præmium operibus *supra condignum* esse docuit: quartò, qui quodvis bonum opus coronari non nisi *in Misericordia* judicat: quintò, qui denique statuit (si res ex proportione exacta agatur) neminem vitam æternam, nisi *æterno suo labore* consequi debere: Sextum addam, de *Dono*; ex quo volupe est videre quantum Augustinus [e] Vegæ vestro facessat negotii: *Augustinus* (inquit) *sic argumentatur: Fides non est meritum, quia est Dei donum:* tum Vega, post aliquot velitationes, quasi tergum dans, *Sed hæc satìs sunt*, inquit, *pro pietate, quam debemus tanto Doctori; non enim necesse est*

[e] *Opusc. de Meritis, quæst.* 7. § Ad secund.

est omnia ipsius argumenta demonstrativa, aut efficacia esse credere. Hæc Vega, ut decuit strenuum athletam scilicet. Sed Augustinus se sibi satis constantem causæ nostræ Patronum hactenus exhibuit, pòst etiam magìs magísque eundem se esse demonstrabit.

I. Thesis.

Dogma Pontificiorum de virtute merendi ex Condigno, tanquam ex Meritis Christi, non erat per multa secula Fidei doctrina, vel in ipsa Romana Ecclesia.

SECT. XIII.

QUæ fuerit antiquitus Romanæ Ecclesiæ doctrina, tum ex celebrium Autorum scriptis, tum etiam ex ejus praxi, ab antiquis retro temporibus ad hodiernæ Liturgiæ Romanæ usum, constare facilè potest. Quod ad doctrinam, non necesse est ut seriem temporum percurramus: In paucis Autoribus Romanensibus, exceptione majoribus, insistere sat erit: *viz.* Leone primo & Gregorio primo Pontificibus Romanis, Anselmo Episcopo, & Bernardo Abbate. Pontifex Leo, *Deus*, inquit, *quid cordibus nostris insinuat, quidve commendat, nisi ut de justitia sua nemo præsumat, & de ipsius misericordia nemo diffidat? quæ tunc evidentiùs*

præeminet quando peccator sanctificatur, & abjectus erigitur. Neque enim de qualitate nostrorum operum pendet cælestium mensura donorum. Quod unicum testimonium potest ampla & luculenta esse detectio vanitatis Bellarminianæ defensionis; qui solebat, primò, dicta Patrum interpretari *de operibus extra gratiam factis*; At Leo agit de *sanctificato*. Secundò, Cardinalis contendebat pro dignitate operis *in se*; Leo autem negat donum cœleste pendere de *ulla operis qualitate*. Denique, urgebat ille *commensurationem* inter opera & præmia; iste verò propriè dictam operis *mensuram* penitus excludit. Gregorius Pontifex cognomento *Magnus*, &, si cum successoribus suis comparetur, verè *Maximus*, primò quæstionem hanc sibi proponit, [u] *Si illa Sanctorum felicitas est misericordia, & non Meritis acquiritur, Ubi erit quod scriptum est, REDDET UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EJUS? Nam si SECUNDUM OPERA redditur, quomodo MISERICORDIA æstimatur?* Ad hanc objectionem responsum suum illico adaptans, *Aliud est*, inquit, *SECUNDUM OPERA*, aliud *PROPTER OPERA reddere*. Hæc ille. De quo testimonio suprà cap. 2. sect. 2. in quo jam negat felicitatem propter opera reddi, tanquam propter causam meritoriam.

Idem Pontifex, à Thesi ad Hypothesin descendens, [x] *Ipsa justitia nostra*, inquit, *ad examen*

[u] *Gregor. in 7. Psal. Pœnit. in illa verba,* Auditam fac mihi, *&c.*

[x] *Idem lib. 5. in 3 cap. Job. cap. 8.*

examen justitiæ Divinæ deducta, injustitia est, & sordet in districtione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis. Item, *Ipsa nostra perfectio culpâ non caret, nisi hanc severus Judex in subtili lance examinis misericorditer penset.* Item de seipso, [y] *De sola misericordia tua impetro,* inquit, *quod non de meritis spero.* Item, [z] *Justus noster Advocatus justos nos defendet in judicio, quia nosipsos cognoscimus & accusamus injustos: non itaque nostris actionibus fidamus, sed in Advocati nostri allegatione confidamus.* Hæc ille. Et sunt id genus alia testimonia plurima, quæ Pontificiorum *Meritorum de Condigno* defensioni ἀντιφατικῶς opponuntur. Illi enim, *Ex Meritis*; Iste autem, *Non ex meritis felicitatem acquirimus.* Illi, *Propter opera, ut causam Meritoriam:* Iste, non *Propter*, sed, *Secundum opera redditur remuneratio.* Illi, *Merita nostra digna sunt, quibus formaliter justi simus coram Deo:* Ille, Non ità est, nam *Justitia nostra sordet*, &, *Sumus injusti.* Illi denique, *Non opus est nobis intuitu meritorum Christi, extra nos in judicio Dei, ut vitam æternam consequamur:* At ille, *Non actibus nostris, sed in Advocati nostri allegatione confidendum est.* Sic Romanus Pontifex hodiernum Romanorum dogma, de virtute nostra Merendi, tanquam ex Meritis Christi nobis comparatâ, falsitatis convincit.

[y] Idem, lib. 9. in Job, cap. 14.
[z] Idem in Ezech. hom. 7. in fine.

Bernardus ante aliquot secula in ævo tenebricoso, velut cœleste sidus, claruit; ejus Thesis

sis hæc fuit, ubi agitur de propriè dictis Meritis,[a] *Si propriè appellentur ea quæ dicimus nostra Merita, spei quidem seminaria sunt, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi.* Sic ille, operum bonorum prærogativas describens, & illas quidem egregias: quarum ultima est, Quòd sint *via regni*, quamvis *non causa regnandi.* De quo plura infrá.

[a] *Bernard. lib. de Gratia & Lib. arbitr. in fine.*

Pòst, idem Bernardus, ubi ad Hypothesin accedit, [b] *Nostra*, inquit, *siqua humilis est justitia, recta forsan, sed non pura: nisi forsitan nos meliores esse credimus patribus nostris, qui non minùs veraciter quàm humiliter dixerunt, OMNES JUSTITIÆ NOSTRÆ SUNT TANQUAM PANNUS MENSTRUATÆ MULIERIS.* Hæc ille. Ex comparatione hujus doctrinæ cum Pontificiorum dogmate superiori, facilè Lector intelligat, ea non minùs inter se discrepare quàm antitheta hæc; *viz.* primò, *Opera nostra non sunt meritoria causa regnandi*, &, *Sunt meritoria causa regnandi de Condigno*: secundò, *Justitiæ nostræ non sunt puræ, nec sumus in hoc meliores patribus nostris*, &, *Sumus ex operibus formaliter justi, & eatenus patribus nostris meliores.* Hactenus de *professione* ipsa, sequitur *praxis* Romanæ Ecclesiæ, per multa secula recepta, & ad hodiernum diem celebrata. Mitto testimonia Anselmi & Bedæ, quæ sparsim in hoc Tractatu habentur.

[b] *Idem, Serm. 5. de verbis Isaiæ, circa medium.*

II The-

II. THESIS.

Hodierna Ecclesiæ Romanæ praxis dogmati ejusdem Ecclesiæ repugnat.

SECT. XIIII.

EXtant hodie in Collecta, in *Commemoratione pro defunctis*, hæc verba; *Memento Domine, &c. Et famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem digneris cum tuis sanctis: in quorum consortium nos, non Æstimator meriti, sed veniæ Largitor, admittas, per Christum Dominum nostrum.* Hæc sunt Collectæ verba, quæ planè contradicunt dogmati superiori ejusdem Ecclesiæ, *Ex meritis Christi habemus nos virtutem merendi, juxta æqualitatem justitiæ, quæ exigat præmium vitæ æternæ apud Deum.* Hæc duo si inter se conferantur, quis satìs mirari potest horum hominum stuporem, qui in orando *Deum non esse Æstimatorem meritorum suorum* docent, in definiendo tamen & concludendo *Æstimatorem meritorum suorum esse* decernunt? Rursus, *doctrinâ* hâc, Merendi virtutem suam per Merita Christi jactant; *oratione* tamen, per Christum (adeóque per ejus Merita) veniam deprecantur, nè ex Meritis suis dijudicentur. Dicent fortasse, Professionem eorum de Meritis esse de *Fide*; Orationem autem *Spei* duntaxat esse

ſobolem. Monſtra narrant. Spes enim non eſt niſi Fidei filia, ſicut ſcriptum eſt, *Fides eſt rerum ſperandarum,* Hebr. 11. 1. Fides autem quam Pontificii venditant, ſic ſe habet; *Opus noſtrum meritorium exigit à Deo vitam æternam.* Spes verò eorum quid expetit? *Ut nos in conſortium Sanctorum admittat, non ut Æſtimator meritorum.* Hem, filia jam devoravit matrem. Síntne igitur Adverſarii noſtri irridendi, an miſerandi potiùs, difficile eſt dicere.

Hoſius Cardinalis hujus generis praxeis alias commemorat: unam ex Anſelmo, à Fratribus *Franciſci* ordinis obſervatam, erga morti proximos: [c] *Unde cuivis* (inquit Hoſius) *perſpicere licet, qui mos fuerit in Eccleſia Dei.* Verba hæc ſunt, *Morituri, ut non alia in re, quàm in Chriſti paßionis & mortis merito, omnem ſuam ſpem & fiduciam collocarent, admonebantur.*

Addit aliam: [d] *Vidimus* (inquit) *Sacerdotale Romanum, in quo ſunt hæ Interrogationes, & Reſponſa:* [e] *CREdis, non propriis meritis, ſed paßionis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtute & merito, ad gloriam pervenire? Reſpondet infirmus, CREdo.* Non igitur *ſpei* tantùm, ſed

[c] *Hoſius. cap. 73. Conſut. Opin. contrariæ, pag. 292.*

[d] *Idem, quo ſuprà.*

[e] *QUÆ VERBA quia Pontificiis erroribus repugnare videbantur, deleri juſſit Index Expurgatorius* Madriti *impreſſus apud* Alphonſum Gomezium *Regium Typographum,* Anno. 1584. *unà cum alia Interrogatione & Reſponſione, viz,* CREdis quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro noſtra ſalute mortuus ſit? & quòd ex propriis Meritis, vel alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi in Merito Paſſionis ipſius? *Reſponſ.* CREdo.

&

& *fidei* hæc vox est. Pergit Hosius, *Et in fine dicit Sacerdos, SI Dominus voluerit te secundùm peccata tua judicare, dicas, Domine Deus, ego pono mortem Domini nostri Jesu Christi inter me & judicium tuum, — & in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Et pòst, cùm consimilem professionem à quodam Dominicano factam commemoràsset, *Hæc est,* inquit, *fides Catholica, quæ neminem fallere potest.* Hactenus de hoc Argumento. Ad proximum festinamus.



CAP. XVIII.

Undecimum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, tanquam ex Meritis Christi, *ex parte* Martyrii, *ut est nobilissimum medium perveniendi ad vitam æternam.*

Argumentatio.

SECT. I.



Uicquid excellentiæ competit omni operi bono, id utique Martyrio est tribuendum: At hoc excellentiæ, viz. *De Condigno Meritorium esse vitæ æternæ*, non est tribuendum Martyrio: Propterea, *De Condigno Meritorium esse vitæ æternæ*, non competit omni operi bono.

Major ex Scripturis facilè evincitur, in quibus Martyrium, tanquam nobilissimum medium perveniendi ad vitam æternam, sæpe anteponitur cæteris omnibus: Cui etiam Adversarios nostros assensuros esse nullùs dubito.

I. The-

I Thesis.

Patres antiquos non tribuisse Martyribus virtutem Merendi, tanquam ex Meritis Christi. In quo habemus veluti clarissimum speculum Catholicæ veritatis.

SECT. II.

CAtholicæ veritatis Φωσφόροι, antiqui Patres, in Expositionibus suis in * locum Apostoli, ubi de passionibus Christianorum Apostolus clarè docuit, *Non esse Condignas afflictiones hujus temporis ad gloriam futuram*, Catholica sua judicia & Orthodoxa largiter exhibuerunt: (suprà:) quibus monstrum hoc, quod dicitur *de Condigno ex justitia æqualitate apud Deum mercedem exigere*, planè profligârunt. Juvat eorum rationum momenta aliquot saltem attingere.

* Rom. 8, 18.

Ratio prima, ex testimoniis iis quibus Patres dignitatem bonorum operum deprimunt, in hunc modum. Primò, [a] *Universo orbi renunciantes, nihil dignum fecimus.* Secundò, [b] *Nihil potest quis pati dignum gloriâ.* Tertiò, [c] *Etsi millies moriamur, nihil dignum gerimus pro bonis quæ accepimus, nedum futuris.* Quartò, [d] *Nihil dignum regnis cælestibus.* Quintò, [e] *Æterna requies æterno labore digna.* Ità ut (quod alibi objicere solent Pontificii) si vox *Dignum*

[a] *Athanas.*
[b] *Hieron.*
[c] *Chrysost.*
[d] *Autor operis imperfecti.*
[e] *August.*

infert *Meritum de Condigno*, Patres dum toties pronunciant opera bona *non digna* esse vitâ æternâ, eâdem vitâ *condigna* esse pernegant. (Hæc suprà, cap. 14)

Ratio secunda ex sententiis, in quibus expressè bona opera *Meritoria* esse Patres inficiati sunt: (suprà, cap. 10, & cap. 14.) viz. Primò, [f] *Non secundùm merita nostra, sed secundùm misericordiam Dei cælestium decretorum in homines forma procedit.* Secundò, [g] *Major erit gloria, quàm ut quis eam mereatur.* Tertiò, [h] *Licèt totis viribus desudemus, nihil tamen merito condignum compensamus.* Quartò, [i] *Ineffabiliter omne meritum excedit vita æterna.* Quintò, [k] *Nihil sunt merita omnia ad tantam gloriam.* Sextò, [l] *Non sunt omnes passiones Condignum Meritum ad eam gloriam.* Ergò ludicrum erat Bellarmini subterfugium, cùm dixit, *Passiones non condignas esse æternâ gloriâ, non respectu meritoriæ dignitatis, sed respectu levitatis & brevitatis earum, comparatione habitâ ad æternitatem & immensitatem præmii.* Falsò omnino: nam in his *Meritum* & *Dignitas* operum expressè excluduntur.

Ratio tertia, ex modo quo usi sunt ad *Meritum de Condigno* expugnandum, ubi, omissis operibus, *personas ipsas operantes* indignas æstimant præmio æterno. Primò, [m] *Nos ex dignatione Dei coronamur.* Secundò, [n] *Vitam donat Deus indignis.* Tertiò, [o] *Si per totam vitam tormenta*

[f] Ambros.
[g] Autor operis imperfecti.
[h] Euseb. Emiss.
[i] Fulgent.
[k] Bernard.
[l] Anselm.
[m] Cyprian.
[n] Ambros.
[o] August.

menta tolerraremus, non digni essemus, &c. Quartò, [p] *Etsi omnia præcepta utriusque Testamenti quis præstiterit, tamen non est dignus illâ gloriâ.* (suprà, cap. 14.) [p] Remigius.

Ratio quarta argumentandi cernitur in his Patrum phrasibus. viz. Primò, monendo ut Martyres considerent se *non plus pati, quàm pro peccatis merebantur.* Sic Hieronymus. Et iisdem prorsus verbis Primasius. Quibuscum Isidorus Hispalensis consentit. Denique, *Dicitur ab Apostolo, NON SUNT CONDIGNÆ PASSIONES HUJUS TEMPORIS &c. ad deprimendam Patientium superbiam.* Hæc singula pleniùs exprimuntur suprà, cap. 14.

Antiquorum Patrum testimonia insuper alia, quæ probant Martyrium ipsum non esse opus Meritorium Condignum vitâ æternâ, ex Psal. 116.

SECT. III.

Psalm. 116. (secundùm vulgatam, 115) *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ accepi? Calicem Salutis accipiam, & nomen Domini invocabo. —Pretiosa mors Sanctorum in conspectu ejus.* Non hîc contendimus de genuino & literali hujus textûs sensu, sed de antiquorum Patrum judiciis (quod ad *Martyrium* spectat) quæ scriptis suis consignârunt. Nec

Nec enim Adversarios nostros latet, Sanctos Patres interpretatos esse hunc locum de [q] *Martyrio fidelium*, tam ex occasione verborum istorum, *Pretiosa mors Sanctorum*, &, *Accipiam calicem salutis*, quàm etiam propter allusionem ad verba Christi de martyrio Discipulorum suorum, *Bibetis revera de calice quem ego bibiturus sum*, Matth. 20. Nostrum erit Patrum Testimonia in medium producere.

[q] Teste Bellarmino, in Psal. 115.

Chrysostomus; [r] *Quid retribuam Domino, quòd me propriâ suâ imagine honestavit, Angelorum gloriâ vestivit?* Pergit Chrysostomus, multa alia salutis nostræ media insignissima commemorans: & tandem, *Propheta*, inquit, *cùm cogitando circumlustrâsset omnia, nulláque Deo digna perfectáque retributio occurreret, unum animadvertit præclarius, nempe, opus Martyrii; & de hoc infert, dicens*, CALICEM SALUTIS ACCIPIAM.

[r] In hunc Psalmum.

Augustinus; [s] *Mortem tuam* (Martyrem alloquitur) *Christus emit sanguine suo, quem effudit in salutem hominum, nè homines suam pro nomine ejus effundere dubitarent, qui confiteantur conditionem suam tanto pretio comparatam.* Plura alia addit; ad extremum, rediens ad CALICEM SALUTIS, *Revera*, inquit, *quicquid quisquis bene cogitat quod voveat Domino, hoc exigitur, hoc debetur.* Ex his discimus, Martyrium *mortem* dici *pretiosam*, quia

[s] In Psal. eundem.

pretio Christi sanguinis empta est; esséque Christo, ratione istius pretii, *debitam:* nec *Meriti* (hoc enim negat) sed *Gratitudinis* opus, ut *laudis holocaustum.*

[t] Prosper, quasi Augustini premens vestigia: *QUID RETRIBUAM DOMINO? Nihil invenit quod redderet, nisi quod à Domino acceperat: ACCIPIAM CALICEM SALUTIS, nempe mortem pretiosam, quia emit eam* [Christus] *sanguine suo; ea tamen servorum mors servis prodest, non Domino.*

[t] *In eundem Psalmum*

[u] Theodoretus *CALICEM SALUTIS, pro pietate, MORTEM appellat: docet igitur nos audacter pro Christo subire mortem, & hanc remunerationem pro variis officiis dare. Siquidem mortem illam admiratione dignam subiverimus, gloriam & honorem à Deo consequemur. Si verò, hostibus superiores facti, illorum aciem profligaverimus, hymnum de gratiarum actione offeremus, servitutem confitentes.*

[u] *In eundem Psalmum.*

Adeste igitur quotquot estis *Meriti* vestri *De Condigno* gloriabundi buccinatores vindicésque: observate tot tantorúmque Patrum admirabilem consensum: dein (per Deum vos oro) rationum eorum momenta singula diligenter perpendite, & dicite, si potestis, an ista Catholicæ religionis præclarissima lumina, modò Protestantes fuissent, expressiùs, accuratiùs, nervosiùs vestram *Condignitatem Meritoriam* refellere & revincere potuissent. Istam

Bb enim

enim *Meritoriam condignitatem ex æqualitate justitiæ*, quam Pontificii *Largitioni calicis aquæ frigidæ* ascribendam judicârunt, Patres Catholici Passioni, seu *Calici sanguinis*, Martyrum ipsorum denegârunt.

CAP. XIX.

Duodecimum nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, *ex parte debitæ nostræ gratitudinis erga Deum in omni opere bono.*

Argumentatio.

SECT. I.

NUllum opus gratitudinis erga Deum, potest esse apud Deum Meritorium de Condigno: Sed omne opus bonum est opus gratitudinis erga Deum: Ergò nullum opus bonum potest esse Meritorium de Condigno apud Deum. Has præmissas Theses subsequentes comprobabunt.

I THESIS.

Omnes teneri, in omnibus gratias Deo agere.

SECT. II.

SCripturæ satis sunt in se manifestæ. 1. *Sine intermissione orate, & in omnibus gratias agite,* 1. Thess. 5. Et revera, omne opus bonum est (vel *expressè*, vel *implicitè*) opus gratitudinis nostræ erga Deum, ut Apostolus innuit, 1. Cor. 10. 31. *Sive editis, sive bibitis, sive quicquid agitis, omnia facite in Dei gloriam.* Nec mirum, quia è contrà, (ut [a] Schola docet) *Ingratitudo Materialis est in omni peccato.*

[a] *Aquin. in* 1. 2. *qu.* 107. *art.* 2. § Ad Primum.

II THESIS.

Actui gratitudinis non potest subesse virtus propriè Merendi de Condigno apud Deum. *A Patribus probatur ex variis proprietatibus gratitudinis.*

SECT. III.

HUic Thesi solus [b] Vasquez (quod sciam) se opposuit. *Etsi* (inquit) *aliqua opera ex affectu gratitudinis Deo exhibere homo teneretur, tamen sine dubio à Deo mereretur: nam qui gratus est Deo, ex ipso opere gratitudinis, dignus*

[b] *In* 1. 2. *Tom.* 2. *disp.* 214. *c.* 12. § Deinde, &c.

est vitâ æternâ. Sic ille, sub prætextu *gratitudinis* opinionem *meriti* obtrudens; veluti subdoli piscatores, cùm *escam* piscibus præbent, sed non sine *hamo*. Ad Patres appellamus.

Gratitudinis proprietates plurimas descripsit Antiquitas, & nobis posteris per scripta sua commendavit, quibus contra *Meritum de Condigno* fidissimi veritatis antiqui testes judicium suum abunde explicârunt. Prima proprietas gratitudinis est, Agnoscere nos grates dignas non posse Deo reddere. Hanc tradidit [c] Clemens Alexandrinus: *Nec possumus nos omnino gratias referre pro dignitate salutis*. Sic ille. Nec igitur *Gratiæ* possunt esse *Merita Condigna*. Quò spectat illud [d] Nazianzeni, *Da Domino omnia, quia omnia donavit; cum tamen nunquam vinces, etiamsi omnia projicias, imò nec si teipsum adjungas*.

[c] *Strom. lib. 7.*

[d] *Gregor. Naz. orat. 16.*

Secunda proprietas gratitudinis est, Homines Deo verbales laudes referre pro beneficiis ejus realibus. De qua [e] Augustinus, *Nos gratias agimus*, inquit, *non damus, non reddimus, sed verbis tantùm agimus Deo; ipse verò nos gratìs salvos fecit*. Eandem proprietatem sapienter ponderat [f] Chrysostomus: *Si velimus aliquid offerre Deo*, (inquit) *quid amplius possumus, quàm cùm gratias verbis referimus? at ea, quæ ipse exhibet, opere præstat. Quàm imparia autem sunt verba & opera! Et Dominus nullarum rerum indigus est &c.* Rursus; *Si Domino grati*

[e] *In Psal. 88.*

[f] *In Gen. Hom. 26.*

ti esse volumus, nos ipsos illustriores facimus: quoniam non quòd celebratione nostrâ egeat, hoc fieri vult; sed, ut quicquid est lucri ad nos redeat, ac dignos nos faciat majoribus subsidiis. Ubi vocem *Dignos* non aliter accipi posse, quàm *Habiles* & *Aptos* (juxta sensum suprà ab Adversariis agnitum) res ipsa clamat, & idem [g] Chrysostomus probat: *Gratiarum actio nihil illi* [Deo] *addit.* Sic ille. Quo argumento Patres (suprà cap. 2. sect. 3.) doctrinam de *Condignitate Meritorum* planissimè refutârunt.

[g] *Idem, in Matt. 8. Hom. 16.*

Tertia proprietas gratitudinis indignitatem nostram perstringit, ut gratias agentes intelligant se haud dignos esse quorum gratiæ acceptentur à Deo. In quem finem solerter [h] Fulgentius, *Gratias debemus agere Deo, quòd nos gratuitâ ejus misericordiâ sibi subjecit, ut humiles simus, quia quamdiu sumus in hoc corpore mortali, non possumus sine peccato esse, nedum perfectam humilitatem Deo exhibere. Propterea gratiæ agendæ sunt Deo, in quantum donat nobis ut bene operemur, nè ejus muneribus simus ingrati; & danda est opera ut ad meliora proficiamus, nè in mortiferam incidamus superbiam, si conversationem nostram putemus ex omni parte perfectam.* Hæc ille.

[h] *Epist. 4. ad Prob. de orat. & compunct. cordis.*

Quarta proprietas gratitudinis est, ut homo justificatus, in operibus suis non glorietur apud Deum. Propterea circumspectè & consultò [i] Basilius, *Factus est Christus nobis,* inquit,

[i] *Hom. de Humilitate.*

(inquit) *Justitia, Sapientia, & Redemptio; ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Perfecta & omnimoda gloriatio in Deo est: quando nec propter sui ipsius justitiam quis extollitur, sed agnoscit se quidem verâ destitui justitiâ, verùm solâ in Christum fide justificatum esse.* In deliciis habebat [k] Augustinus Cypriani illud, (in hæc verba Apostoli, *QUID HABES QUOD NON ACCEPISTI?*) *In nullo gloriandum, quia nostrum nihil est.* Similiter [l] Ambrosius: *Non gloriabor quia justus sum, sed quia redemptus; non quia vacuus peccati, sed quia remissa sunt mihi peccata; non gloriabor quia profui, sed quia est pro me Christus Advocatus.* Sic hi Patres fidei & spei suæ anchoram fixerunt in *cælo:* At contrà dogmatizantes *opus bonum de Condigno Meritorium esse ex æqualitate justitiæ apud Deum,* Meriti (ut illud *nostrum* dicitur) fundamentum in *nostro arbitrio* positum esse jactitant.

[k] *Lib. 2. Retract. cap. 1*

[l] *De Jacobo & vita beata, lib. 1. cap. 6.*

Gloriationem insuper quod attinet, sunt qui haud incommodè distinguunt inter internam gloriationem & fiduciam *Ex operibus,* & , *In operibus.* Hanc perniciosam judicant, nec immeritò: (ut hactenus probavimus ex fucata & adulterina condignitate Operis & Operantis) istam verò nonnunquam persalutarem, quatenus gratiæ & potentiæ Dei operans recumbit. Veluti enim experientia Da-

vidis

vidis de interfecto *leone* & *urso* fiduciam conciliabat Divini auxilii ad prosternendum ingentem *Philistaeum*: ità docet Apostolus, minimè dubitandum esse nobis, *quin Deus, qui cœpit in nobis quodvis bonum opus, perficiet quoque usquè in diem gloriosi adventûs Christi*. Quæ fuit ratio cur Bernardus, cùm omnino negaverat Bona opera esse propriè *causam regnandi*, arctè tamen tenuit, & confidenter, & sancta cum gloriatione jucundè pronunciabat, ea esse *spei seminaria*, *charitatis incentiva*, *occultæ prædestinationis indicia*, *futuræ felicitatis præsagia*; denique *viam regni*. Et hoc quidem est in Deo gloriari, & non in nobis.

5. Quoties ex antiquis & publicis Ecclesiarum omnium Liturgiis, Christiani ingrassimuntur Deum orare, ut ab illis actas gratias dignaretur accipere, tantum abest, ut Merita sua obtenderent, ut potiùs ὄγκον illum deprecationibus suis semper ex professo depresserint. Certè Augustinus in alio Pharisæi ulcere digitum infixit: [m] *Pharisæus gratiæ agens* (inquit) *nihil sibi addit ad justitiam petebat*. Quam superbiæ vomicam etiam Gregorius Nyssenus planè lancinat: [n] *Pharisæus si animadvertisset* (inquit) *hominis naturam, intellexisset ex * Scriptura, eam à sordibus puram non esse, nec posse inveniri inter homines, qui unum diem absque macula vivat. Ergò qui accessurus*

[m] *August. de peccat. Meritis, lib. 2. cap. 5.*
[n] *Gregor. Nyss. de orat. Dom. in illam petitionem,* Remitte nobis, &c.
* Pro. 20. 9. Eccles. 7. 20.

surus est ad Deum, nè talis affectus in animo ejus ingeneretur, non eum ad res bene gestas respicere Sermo jubet, sed recordari communium humanæ naturæ debitorum, quorum quivis prorsus particeps est; & rogare Judicem, ut delictorum impunitatem largiatur. Hæc ille. De qua re eleganter sanè [a] Chrysostomus, *Rectè factorum certissimus thesaurus oblivio.*

[a] *Ad populum Antioch. Hom. 38.*

III Thesis.

Opinionem Meriti de Condigno *ex necessitate & difficultate veræ gratitudinis convinci falsitatis.*

SECT. IIII.

PRimò, Necessitas gratitudinis ex ingratitudinis atrocitate optimè elicitur. Ingratitudinis verò vitium apud Ethnicos ipsos adeò videbatur detestabile, ut Seneca rationem daturus, cur non hoc, sicut cætera vitia, in foro humano actionem inveniat, scitè & argutè, [a] *Non quòd absolvimus*, inquit, *hoc invisum vitium: sed cùm difficilis esset incertæ rei æstimatio, inter ea vitia reliquimus, quæ ad deos vindices mittimus.* Sic ille de suis Ethnicis, qui inter id genus vitia paricidium numerat. Sed & ingratitudinis iniquitatem satis ostendit, adversus populum Judæ severa illa Dei

[a] *Lib. 3. de beneficiis, cap. 6.*

Dei exprobratio & objurgatio, quâ eos ad bestias ablegabat, à quibus edocerentur: *Bos* (inquit) *cognovit dominum suum, & asinus præsepe ejus.* Cujus generis species Schola quatuor enumerat: [b] primò, *Non recognoscere beneficia*; secundò, *Non laudare benefactorem*; tertiò, *Non gratias agere*; quartò, *Non aliquid retribuere.*

[b] *Aquin. 2.2. quæst. 7. art. 3. in corpore articuli.*

2. Difficultas veræ & necessariæ gratitudinis, quàm multifaria sit, ex variis ejus objectis deprehenditur, prout ea à sanctis Patribus distinguuntur.

Quod ad primum genus objectorum gratitudinis attinet, tenemur tam pro adversis, quàm prosperis gratias agere. De hoc [c] Chrysostomus divinè, de Benedictione Job: *Nihil est linguâ illâ sanctius, quæ in malis Deo agit gratias: Revera non est inferior linguâ Martyrum.* Sic & alii Patres; sed nota cantamus.

[c] *In Coloss. hom. 8.*

Secundi generis objecta sunt Multitudo & Magnitudo beneficiorum. Quoad Magnitudinem, [d] Chrysostomus instantiam dat ex Evangelio Joannis, cap. 3. *SIC DEUS DILEXIT MUNDUM, UT OMNES QUI CREDUNT IN EUM NON PEREANT, SED HABERENT VITAM ÆTERNAM: Hoc miraculo obstupescens tonitrui filius, &c. Quanto miraculo plena est hac dictio! — Dic mensuram, magnitudinem, & excellentiam ejus.* [e] Augustinus; *Deus ità donat, ut deficiat anima nostra in consideratione beneficiorum ejus. Ecce qualia Deus ex*

[d] *In Gen. hom. 27.*

[e] *Lib. 2. Meditationum. De diligendo Deo. c. 2.*

surus est ad Deum, nè talis affectus in animo ejus ingeneretur, non eum ad res bene gestas respicere Sermo jubet, sed recordari communium humanæ naturæ debitorum, quorum quivis prorsus particeps est; & rogare Judicem, ut delictorum impunitatem largiatur. Hæc ille. De qua re eleganter sanè * Chrysostomus, *Rectè factorum certissimus thesaurus oblivio.*

* *Ad populum Antioch. Hom.* 38.

III Thesis.

Opinionem Meriti de Condigno *ex necessitate & difficultate veræ gratitudinis convinci falsitatis.*

SECT. IIII.

PRimò, Necessitas gratitudinis ex ingratitudinis atrocitate optimè elicitur. Ingratitudinis verò vitium apud Ethnicos ipsos adeò videbatur detestabile, ut Seneca rationem daturus, cur non hoc, sicut cætera vitia, in foro humano actionem inveniat, scitè & argutè, * *Non quòd absolvimus*, inquit, *hoc invisum vitium: sed cùm difficilis esset incertæ rei æstimatio, inter ea vitia reliquimus, quæ ad deos vindices mittimus.* Sic ille de suis Ethnicis, qui inter id genus vitia paricidium numerat. Sed & ingratitudinis iniquitatem satis ostendit, adversus populum Judæ severa illa

* *Lib.3. de beneficiis, cap.6.*

Dei

Dei exprobratio & objurgatio, quâ eos ad bestias ablegabat, à quibus edocerentur: *Bos* (inquit) *cognovit dominum suum, & asinus præsepe ejus*. Cujus generis species Schola quatuor enumerat: [b] primò, *Non recognoscere beneficia*; secundò, *Non laudare benefactorem*; tertiò, *Non gratias agere*; quartò, *Non aliquid retribuere*.

[b] *Aquin.* 2.2. *quæst.* 7. *art.* 3. *in corpore articuli.*

2. Difficultas veræ & necessariæ gratitudinis, quàm multifaria sit, ex variis ejus objectis deprehenditur, prout ea à sanctis Patribus distinguuntur.

Quod ad primum genus objectorum gratitudinis attinet, tenemur tam pro adversis, quàm prosperis gratias agere. De hoc [c] Chrysostomus divinè, de Benedictione Job: *Nihil est linguâ illâ sanctius, quæ in malis Deo agit gratias: Revera non est inferior linguâ Martyrum*. Sic & alii Patres; sed nota cantamus.

[c] *In Coloss. hom.* 8.

Secundi generis objecta sunt Multitudo & Magnitudo beneficiorum. Quoad Magnitudinem, [d] Chrysostomus instantiam dat ex Evangelio Joannis, cap. 3. *SIC DEUS DILEXIT MUNDUM, UT OMNES QUI CREDUNT IN EUM NON PEREANT, SED HABERENT VITAM ÆTERNAM: Hoc miraculo obstupescens tonitrui filius, &c. Quanto miraculo plena est hæc dictio! — Dic mensuram, magnitudinem, & excellentiam ejus*. [e] Augustinus; *Deus ità donat, ut deficiat anima nostra in consideratione beneficiorum ejus. Ecce qualia Deus ex*

[d] *In Gen. hom.* 27.

[e] *Lib.* 2. *Meditationum. De diligendo Deo. c.* 2.

bonitate gratiæ ſuæ in nos contulit, nullis noſtris exigentibus meritis. Hæc Auguſtini ſententia eſt ipſiſſima noſtra profeſſio.

Quod ad tertium, tenemur pro quotidianis & minimis gratias agere, ut 1. Cor. 10. 19. *Sive editis, ſive bibitis, ſive quicquid agitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hanc ſententiam inter ſuos flores interſerens [f] Bernardus, ſuaviter verba ſequentia modulatur: *Fragmenta ciborum colligere oportet, nè pereant. Nónne id perit quod datur ingrato?* Cogitent Adverſarii, & inter ſe reputent (utcunque pro integris panibus & beneficiis ampliſſimis) an pro fragmentis debitas Deo gratias reddiderint.

[f] *In Serm. de paſsione Domini.*

Quod ad quartum, tenemur pro communibus bonis, tanquam pro propriis, gratos nos præbere. Rarior hæc forſan & ſublimior ſpeculatio, quàm quæ ab omnibus ſtatim apprehendatur. In quo Argumento [g] Chryſoſtomus feliciter verſatus, *Hic eſt affectus fidelis ſervi,* inquit, *ut beneficia Domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet, & quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius. Hoc fecit Paulus, qui mortem Domini & Salvatoris noſtri, quæ pro univerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicit: quaſi enim de ſe ſololoquens, ita ſcribit, QUOD ENIM NUNC VIVO IN CARNE, IN FIDE*

[g] *Lib. 2. de compunctione cordis, verſus finem.*

DE VIVO FILII DEI, QUI TRADIDIT SEMETIPSUM PRO ME. Hæc autem dixit non coangustare volens amplissima & per orbem terræ diffusa Christi munera, sed quasi qui pro omnibus se solum judicaret abstrictum. — Ideo in Parabola boni pastoris non dicitur, Quia venit MULTAS oves quærere, sed UNAM. UNA namque est, quia sic omnibus, quasi UNI Divina beneficia conferuntur. Sic ille. Quibus verbis commendat cuivis pectori Christiano *Condignitatem Meritorum Christi*, non autem cuique *suam*, ut fanatici loquuntur & sentiunt.

Quintum genus est eorum beneficiorum (de quibus * suprà diximus ex Seneca) quæ in nos nolentes collata sunt. Quæ consideratio aureum illud os [h] Chrysostomi aperuit rursus, qui nos commonefacit, *ut gratias agamus etiam pro iis bonis, quæ nolentibus nobis dantur.*

* *Cap.16.*

[h] *De Providentia Dei.*

Sextum genus dici potest respectu peccatorum: Ut gratias agamus pro peccatis tam remissis, quàm pro non commissis. De quo Augustini extat illud scitum & percelebre dictum, *Domine, omnia mihi peccata dimissa esse fateor, & quæ spectante te feci, & quæ te duce non feci.*

Hæc singula gratitudinis objecta, si inter se conferantur, satìs demonstrant, quàm

impossibile nobis sit, non in multiplici ingratitudinis reatu implicari atque involvi: quo (nisi Judicii sui rigorem Deus, pro Paterna sua miseratione, propter Christi Merita, remittat atque dissolvat) actum esse de nobis meritò suspicemur. Quæ unica consideratio omnem *propriè nostræ condignitatis, ex æqualitate justitiæ apud Deum*, arrogantiam Papisticam conterat prorsus atque pessundet.



CAP. XX.

Decimum tertium nostrum Argumentum adversus Meritum de Condigno, *ex parte profectûs veræ pietatis.*

Argumentatio.

SECT. I.

PRofessio, quæ minùs valet ad veræ pietatis profectum, est minùs probanda: Sed professio *Meriti de Condigno* minùs valet ad veræ pietatis profectum, quàm contraria Protestantium: Idcirco est minùs probanda.

Major est magìs manifesta, quàm quæ ab Adversariis negari possit: Minorem dissertatio sequens, Deo duce, abunde demonstrabit.

Tria sunt quæ ad profectum veræ pietatis requiri possunt; *Necessitas*, *Dignitas*, & *Veritas* bonorum operum.

De necessitate bonorum operum.

I Thesis.

Protestantes negata necessitatis bonorum operum reos à Pontificiis delatoribus atrociter peragi.

SECT. II.

VEllemus quidem Pontificiorum accusationes non nisi surdis auribus excepisse: sed cùm adeò ad ravim usque clamitant & vociferantur, eorum criminationes sanè teterrimas, quas Protestantibus impingunt, audire vel inviti cogimur. *viz.* primò, [i] *Eunomius fertur usque adeò fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* (*August. Hæres.* 54.) *Nónne hoc idem Lutherani & Calvinista docent, cùm nos ab omnibus peccatis per fidem solam justificari contendunt?* Sic Sanderus. Secundò, [k] *Hæretici veteres docuerunt suos non debere curare bona opera; cui affinis est eorum* [Protestantium] *de sola fide.* Sic Stapletonus. Tertiò, [l] *Superiorum Gnosticorum impiam sententiam sibi hoc ævo instaurandam & propugnandam sumpserunt Sectarii omnes, qui infausto nomine Hugonotarum comprehenduntur:*

[i] *Sanderus De visibili Monarch. lib. 7. Ann. 338. pag. 295.*

[k] *Staplet. de Justif. lib. 8. c. 1.*

[l] *Fevard. in Jacob. c. 15.*

tur: Solam fidem justificare: Hominem damnari non posse, modò tantùm credat. Sic Fevardentius. Quartò, [m] *Ut æternam salutem consequaris, & sis sanctus, aiunt Protestantes omnes, nihil est necesse boni aliquid velis, moliaris, aut facias: Christo fidas, impune quidvis audeas, & ad exitum perducas.* Sic Bozius. Hactenus Adversarii ipsi, omissis aliis, qui non minùs rabidè in Protestantes eodem nomine involant & invehuntur. *Hæc dici potuisse, & non potuisse refelli?* Imò vel facillimé.

[m] *Bozius, de signis Ecclesiæ, lib. 6. cap. 5. circa medium,* § Bene habet.

II. Thesis.

Immanem injuriam Protestantibus factam esse per criminationes istas, ex Protestantium scriptis ostenditur.

SECT. III.

PRotestantes in primis duo sunt, per quorum latera professionem eorum omnium Pontificii (in locis citatis) percellere & transfodere conantur: Lutherus & Calvinus. Sat erit primo in loco, ex ipsorum tabulis obsignatis calumniam propulsare, nè præjudicio præfinito rectum præfocetur judicium. [n] Lutherus in hunc modum, *In fide & dilectione sita est vita Christiana syncera. Si quæras quæ sint bona opera quæ debemus; dico, Te totum, quantus*

[n] *In Dominic. 1. Advent. tract. de bonis operibus,* pag. 8.

quantus es, des proximo. Item, [o] *Fides ubi advenit, hominem immutat, talémque format, qui opera legis præstet atque impleat,——& probet se fide justificatum esse.* Item, [p] *Nusquam Scriptura opera sine fide; verùm fidem vivam, à qua opera dimanant, ubique requirit.* Item, [q] *Ubi fides syncera est, absque operibus esse nequit, ut nec vivus homo ullus absque aliquo motu operandi.* Item, [r] *Regnum Dei, quod nos sumus, non in sermone situm est, sed in virtute, hoc est, in operibus & exercitio: Deus non auditores, aut psittacos verba tantùm expeditè sonare condiscentes amat, sed imitatores & effectores sermonis in fide per dilectionem. Fides enim absque dilectione haudquaquam sufficiens est, imò non est fides, sed somnium quoddam & simulacrum fidei: Sicut facies in speculo visa, non est vera facies, sed imago faciei.* Sic ille. [s] Calvinus pariter, *Ait Apostolus*, inquit, *CHRISTUS FACTUS EST NOBIS A DEO SAPIENTIA, JUSTITIA, SANCTIFICATIO ET REDEMPTIO. Vocat hîc SANCTIFICATIONEM, quo intelligat nos, alioqui profanos, Spiritu ejus regenerari in sanctitatem, ut serviamus Deo. Unde etiam colligimus, non posse nos gratìs justificari solâ fide, quin simul sanctè vivamus. Ista enim gratiæ individuo nexu cohærent, ut qui eas separare nititur, Christum quodammodo discerpat. Non fidem somniamus operibus vacuam, nec justificationem quæ*

[o] *Idem in Dominic. 4. post Epiphan. ex Rom. 15.* § Unde &c.
[p] *Idem, Dominic. 1. Quadrag. ex Matth. 4.* § Tunc &c. *sub finem pag. 117.*
[q] *Idem, in Fest. Ascens. ex Marc. 16.* § Postea-quam.
[r] *Idem, in Sermone, anno 1521.* § 3. *folio 273. b.*
[s] *In 1. Cor. 1. & in Antidoto.*

fim eis confert. Hæc ille. Extant hujusmodi testimonia trecenta, quæ eos liberare possent ab istac calumnia: sed plura referre necesse non est, præsertim cùm Adversarios nostros ipsos, veluti promptissimos Advocatos, accersere possimus. Sed in eo maximè cernitur Adversariorum calumniantium pervicacia, quòd perperam, ídque sponte, dissimulant, à Protestantibus, per *solam fidem*, non tantùm *historicam* & *mortuam*, sed *vivam, operantem, fiducialem*, adeóque *salvificam fidem* intelligi.

III Thesis.

Pontificiorum ipsorum confessiones, quibus superiores calumniæ falsitatis convincuntur.

Sect. IIII.

Etiamsi Adversarii omnes omnium Protestantium libros cribraverint, ut quicquid possint lolii ex eis seligerent, nunquam tamen ex ullo eorum (quod sciam) testimonio potuerunt ostendere, non requiri ab illis necessariò pœnitentiam in iis omnibus qui justificantur. Quid enim de pœnitentia statuerint, unus [t] Bellarminus abunde satis idoneus relator esse possit: *Lutherus docet* (inquit) *pœnitentiam esse dolorem de peccato, & propositum melioris vitæ.* —*Melanchthon disertis verbis* *dicit,*

[t] *Lib.* 1. *de pœnitentia, cap.* 18.

dicit, novam obedientiam esse tertiam partem pœnitentia. —*Sententia Calvini duas partes constituit, Mortificationem & Vivificationem:* — *Per Mortificationem intelligens vitiorum mortificationem, sive abnegationem sui; per Vivificationem, pium bene vivendi studium, atque affectum ad opera bona:* — *in quam sententiam Beza descendit.* Rursus, idem ex Calvino; *Confessio Augustana, per solam fidem, non excludit alias virtutes, sed meritum ipsarum.* Item; *Negamus, inquiunt Protestantes, fidem posse cum malis operibus consistere; nam qui habet propositum peccandi, fidem remissionis peccatorum concipere nullam potest.* Item [y] Toletus Cardinalis de Protestantibus ingenuè; *Dicunt Protestantes, fidem ad salutem sufficere; negant tamen, illam sine operibus esse posse.* Item [z] Vega; *Sanctificationem & justificationem tam conjunctas esse asseverant, ut non posit altera ab altera divelli. Etiam tu, Calvine, pœnitentiam in peccatoribus requiris, ut justificentur.* [a] Stapletonus denique; *Omnes Protestantes ad unum, dicunt fidem, qua justificat, vivam esse, & operantem per charitatem aliáque opera.* Hæc illi, quæ nos ex congerie confessionum aliarum multarum selegimus.

[y] *In Joan.* 13. *annot.* 6. *pag.* 150.

[z] *De Justif. lib.* 15. *cap.* 3.

[a] *De Justif. lib.* 9. *cap.* 7.

IIII THE-

IIII Thesis.

Superiorum calumniarum impietatem non solùm Pontificiorum ipsorum crudelitas, sed & Protestantium patientia redarguit atque refellit.

SECT. V.

POntificii olim impietatis Protestantes insimulabant, quòd imaginem Crucifixi adorare abhorrerent: simúlq; responsum ab eis tulerunt, nempe, Ipsos paratos esse Crucifixi veras vivásq; imagines fieri, cruciatus omnes sustinendo pro nomine JESU. Quod illi, ex Pontificiorum decretis morti priùs adjudicati, constanter feliciterque præstiterunt. Simile nunc responsum habeant; cùm millies mille Protestantium nullum genus tormentorum recusaverint pro fide Christi: quam quidem fidem plurimi etiam eorum sanguine suo obsignârunt. Ut hi jam à vobis *Solifidiani* & *bonorum operum omnium hostes* audiant? Proh hominum fidem frontémque!

V THESIS.

Protestantes æquè absolutè veræ pietatis necessitatem requirunt, ac Pontificii: ut causæ sine qua non, *per quam perducuntur ad vitam æternam.*

SECT. VI.

C*Ausa sine qua non*, ex consequente, *necessitatem* infert absolutissimam. Ea esse potest necessitas bonorum operum, quæ est universæ piæ & Christianæ conversationis fidelium; quatenus hæc centies ferè appellatur *via* in Scripturis, velut Matth. 7. *Via alia lata, qua ducit ad mortem; alia angusta, qua ducit ad vitam.* Quam necessitatem non potuisse non plurimùm facere ad profectum veræ pietatis, Pontificii non debent negare, nisi fortè velint duo clarissima Romanæ Ecclesiæ lumina extinguere; qui abhorrentes à doctrina *meritoria condignitatis* operum, operum tamen *necessitatem* ad modum *via* docuerunt. Primò, Pontifex Gregorius, *Nos*, inquit, *non Propter opera, sed Secundum opera judicabimur.* (suprà, cap. 2. sect. 2.) Deinde Bernardus, *Opera bona*, inquit, *sunt via regni, non causa regnandi.* (suprà, cap. 17. sect. 13.) In quorum testimoniis non defuit ratio persuasionis ad pietatem, quia vocat bona opera *præsagia felicitatis futuræ*. Nec est, quòd existimemus eos, quòd volunt bona opera

opera

opera esse *causam sine qua non*, propterea negâsse omnino bona opera esse *causam* per quam vitam æternam acquirimus. Ratio sequitur in Thesi proxima.

VI Thesis.

Bona opera esse necessariò Actualem causam (seclusâ causâ Meritoriâ) per quam vitam æternam obtinemus.

SECT. VII.

NOn ignoramus, ab Adversariis inculcari contra nos illud, 2. Cor. 4. 17. ubi *Tribulatio* Sanctorum dicitur κατεργάζεσθαι, *Operari in nobis aeternum gloriæ pondus:* & Phil. 2. 12. ubi admonet Apostolus nos κατεργάζεσθαι *salutem nostram cum timore & tremore*. Agnoscimus etiam vocem Græcam significare *Efficere*; An igitur ex Merito de Condigno? Negavit jam antea Apostolus; *Non sunt Condigna*, inquit, *tribulationes hujus vitæ gloriâ futurâ.* Quin & eadem phrasis usurpatur, ubi nulla potest subesse ratio Meriti: Rom. 4. 15. *Lex iram operatur*; & 5. 3. *Tribulatio patientiam operatur*; & Jac. 1. 3. *Probatio fidei vestræ patientiam operatur:* Quibus tamen inest nulla vis meritoria. Et nè quisquam putet, si omnis noster conatus ad salutem dicatur esse *Ambulatio in via*, hoc quicquid obesse pietati, addo Thesin proximam.

VII Thesis.

Ambulare in VIA ad regnum cœlorum, *omnem veræ pietatis profectum in se complectitur.*

SECT. VIII.

CHristiana conversatio non ideo toties in Scripturis *via* dicitur, ut in ea otiosi torpescamus; sed, ut necessariò in dies magis magisque omni conamine ad regnum cœleste contendamus: ut patet Ephes. 2. 10. *Nos figmentum Dei sumus, creati in operibus bonis, ut in eis AMBULEMUS:* & Rom. 6. 4. *Ut in novitate vitæ AMBULEMUS*. Sive igitur modus perveniendi ad vitam æternam *Cursus in stadio*, sive *Labor in vinea*, sive *Pugna in arena*, aut aliud quid in Scripturis vocetur; est nihilominus *Ambulatio in via* ad hæreditatem cœlestem, non nostro, sed Christi merito partam & comparatam; ut Patres suprà docuerunt. Rectè igitur [b] Hilarius; *Obedire Deo, est iter ad cælum.* Non igitur desperandum est de eo, qui in hac *via* vitam finiverit: Gloriosissimi enim sunt illi, qui per *martyrium*, ceu per *mare rubrum* istùc perrexerint. At *Per meritum de condigno eò aspirare*, est *extra viam iter habere.* Porrò, de Metaphora *Ambulandi in via* (pro ea, quâ excelluit, sapientia & eruditione) graviter & eleganter homines virtutum omnium præceptis

[b] *In Matt. can. 6.*

ptis

ptis excolit * Augustinus: *Quid est ambulare? Breviter dico, Proficere; nè fortè non intelligatis, & pigriùs ambuletis. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti.— Ambula igitur & profice, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retro redit, qui ad ea devolvitur unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Meliùs it claudus in via, quàm cursor præter viam.* Sic ille. Quo, ad pietatis profectum, requiri amplius nihil potest.

* *De verbis Apostoli, Serm. 15. in fine.*

De imperfectione bonorum operum

I THESIS.

Agnitio injustitiæ operum nostrorum non arguit bona opera esse simpliciter peccata.

SECT. IX.

QUam perfectionem Pontificii operibus tribuant, suprà ostendimus, ubi proportionem in eis, *ex æqualitate justitiæ apud Deum, absolutam* esse statuerunt. Nos autem eam imperfectionem sentimus & agnoscimus, ut gratiosâ Dei acceptatione egeant, sine qua remunerationem beatitudinis expectare nequeunt. Idcirco Pontificii in nos irruunt & invehuntur, tanquam qui bona opera simpliciter peccata esse defendamus: ex quo sequi aiunt, bona

VII THESIS.

Ambulare in VIA ad regnum cœlorum, *omnem veræ pietatis profectum in se complectitur.*

SECT. VIII.

CHristiana conversatio non ideo toties in Scripturis *via* dicitur, ut in ea otiosi torpescamus; sed, ut necessariò in dies magis magisque omni conamine ad regnum cœleste contendamus: ut patet Ephes. 2. 10. *Nos figmentum Dei sumus, creati in operibus bonis, ut in eis AMBULEMUS:* & Rom. 6. 4. *Ut in novitate vitæ AMBULEMUS.* Sive igitur modus perveniendi ad vitam æternam *Cursus in stadio*, sive *Labor in vinea*, sive *Pugna in arena*, aut aliud quid in Scripturis vocetur; est nihilominus *Ambulatio in via* ad hæreditatem cœlestem, non nostro, sed Christi merito partam & comparatam; ut Patres suprà docuerunt. Rectè igitur [b] Hilarius; *Obedire Deo, est iter ad cœlum.* Non igitur desperandum est de eo, qui in hac *via* vitam finiverit: Gloriosissimi enim sunt illi, qui per *martyrium*, ceu per *mare rubrum* istùc perrexerint. At *Per meritum de condigno eò aspirare*, est *extra viam iter habere.* Porrò, de Metaphora *Ambulandi in via* (pro ea, quâ excelluit, sapientia & eruditione) graviter & eleganter homines virtutum omnium præceptis

[b] *In Matt. can. 6.*

ptis

ptis excolit * Augustinus: *Quid est ambulare? Breviter dico, Proficere; nè fortè non intelligatis, & pigriùs ambuletis. Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti.—— Ambula igitur & profice, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retro redit, qui ad ea devolvitur unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Meliùs it claudus in via, quàm cursor præter viam.* Sic ille. Quo, ad pietatis profectum, requiri amplius nihil potest.

* *De verbis Apostoli, Serm. 15. in fine.*

De imperfectione bonorum operum

I Thesis.

Agnitio injustitiæ operum nostrorum non arguit bona opera esse simpliciter peccata.

SECT. IX.

QUam perfectionem Pontificii operibus tribuant, suprà ostendimus, ubi proportionem in eis, *ex æqualitate justitiæ apud Deum, absolutam* esse statuerunt. Nos autem eam imperfectionem sentimus & agnoscimus, ut gratiosâ Dei acceptatione egeant, sine qua remunerationem beatitudinis expectare nequeunt. Idcirco Pontificii in nos irruunt & invehuntur, tanquam qui bona opera simpliciter peccata esse defendamus: ex quo sequi aiunt, bona

na opera non esse à nobis facienda, nec à Deo mandanda, nedum laudanda.

Hæc ab Adversariis μορμολύκεια, ad pueros à nostra religione deterrendos, finguntur; nos igitur ad furiosas & calumniosas hasce consequentias respondemus. Primò, Non dicimus bona opera esse *simpliciter* peccata, sed tantùm *per accidens:* attamen agnoscimus ea esse, tum quoad *substantiam actionis*, tum etiam (in Regeneratis) quoad *modum aliquem agendi*, veras virtutes; sed ex vitiosa pravitate veteris hominis *rebellantis*, licèt non *prædominantis*, quoad *gradum debitæ integritatis*, defectus planè, non solùm *præter*, sed etiam *contra* perfectionem legis Divinæ, cujus est * *Litera occidens:* Quamvìs defectus isti & imperfectiones ex ἐπιεικείᾳ Evangelica, per meritum Christi, cujus sanguine expiatæ & deletæ sunt, cum ejus gratia possint consistere: ità tamen, ut animi contritione continuâ condiantur, sine qua sanctitas omnis sordet, fœtet, & *conscientiæ vermem* ingenerat. His ità pensitatis, difficile non erit, quomodo bona opera, ex Spiritûs sancti afflatu & ἐνεργείᾳ, *vera bona* ac *laudabilia*, ex nostra tamen fæce *polluta* sint, dijudicare. Ad hoc probandum Jesuita [d] Vasquez accurrit, testis omni exceptione major, qui de Protestantibus tale testimonium exhibuit: *Dicunt*, inquit, *opera quibus promittitur vita æterna, ex se quidem bona esse, ex defectu verò*

* 2. Cor. 3.6.

[d] *In* 1.2. *Tom.* 11. *disp.* 214. *cap.*5.*num.* 23.

verò aliqua habere rationem culpæ, sed non esse ex sua natura mala: qualia sunt Furari, Mœchari, &c. Sic ille. Imperfecta revera dicimus discerni à perfectis & absolutè bonis operibus, ut vinum merum à diluto, aut pomum ex nulla parte vitiosum, à caduco. Atque documento nobis esse potest is, qui apud Evangelistam dixit Christo, *Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam.* Vox illa, *Credo*, fidem veram indicat; hæc autem, *Adjuva incredulitatem*, eam imperfectam fuisse prodit. Objicitur, quòd Justi, in Scripturis, non dixissent se mandata Dei fecisse, nisi ea perfectè fecissent. Huic objectioni satisfecit, multis abhinc seculis, [a] Augustinus: *Sed ità dixerim* (inquit) *eos mandata Dei fecisse, ut ipsa mandata meminerimus pertinere ad orationem, in qua quotidie veraciter dicunt sancti filii promissionis, FIAT VOLUNTAS TUA, &, DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA.* 2. Respondemus, Cùm opera bona sint *in se* bona, & non mala, nisi *per accidens*, docemus ea facienda esse. Nec enim puerum instituturum in formandis literis ideo à scribendo arcemus, quia nondum perfectè scribit; nec adeò quis delidum perfectè scribit; nec adeò quis delirat, ut agasonem impellere asinum prohibeat, quia claudicat. Denique (quoad modum) Deus etiam laudat bona opera, &, quamvis imperfecta, approbat: non tamen

[a] *Contra duas Epist. Pelag. lib. 3. cap. 7. in fine.*

ex *juris debito*, ut *severus Judex*; sed ex *indebita gratia*, ut *misericors Pater*, ut ex Patribus antea dictum est.

II Thesis.

Imperfectionem bonorum operum ex Scriptura didicimus.

SECT. X.

VEritatis hujus ratio erit expeditissima, si quidem observare velimus Ciceronianum illud, *Videndum est quatenus.* Nam in quovis renato & justificato duplex est homo, ἔξω, ϗ ἔσω aliàs, *vetus*, & *novus*. Qui duo, velut *Jacob* & *Esau* in uno utero, in uno eodémque pectore hominis Christiani colluctantur. Quem statum hominis regenerati graviter deplorabat Apostolus, quòd in eodem opere bono, quoad interiorem hominem *delectabatur*, ratione tamen exterioris & carnalis hominis sui *perficere non inveniebat*, Rom. 7. 18. Et sanè si ipse Jacob, prout cum Deo ipso, ità cum ejus lege contendere & luctari velit, illum [e] *claudicare* necesse est.

Ad locum Apostoli revertor: de quo [f] Augustinus, ad secundas suas cogitationes rediens, *Non videbatur mihi Apostolus*, inquit, *de seipso dicere potuisse*, EGO CARNALIS SUM, *cùm esset spiritalis*, & *quòd* CAPTIVUS

[e] Gen. 32. 31.

[f] Contra Julian. lib. 6. cap. 12.

pus duceretur sub lege peccati. — *Sed postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potiùs ipsi (quod fatendum est) veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium.* — *Hinc factum est ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notique Doctores.* Hæc ille. Et revera in Apostoli verbis omnia sunt ἐμφατικώτατα: viz. *Malum quod nolo*, &, *Ego non operor*, &, *Quod odi facio.* Certè homo ψυχικὸς non potest in se hanc luctam sentire. Nec hîc per *Carnalem* corpus ipsum intelligi necesse est, sed partem etiam superiorem, quatenus non est perfectè renovata, quæ dicitur φρόνημα τῆς σαρκός. Et Textus hæc suadet: *Ipse* (inquit) *carne servio legi peccati, mente verò* [ipse idem servio] *legi Dei*: sed hoc, bonum *faciendo*, illud verò, *non perficiendo* bonum: Quamvis dixit, *Carne servio legi peccati*, quia *caro*, ut *vetus homo*, opponitur *menti, ut homini spirituali.* Sic enim [s] Augustinus, *Quandò congruentiùs dicitur, CARO CONCUPISCIT, quando anima non solùm carni animalem vitam præbet, verùm etiam secundùm carnem ipsam aliquid concupiscit, quod in potestate non est ne concupiscat, quamdiu inest peccatum in membris!* Sic ille. Nempe cùm duo sunt mandata, quibus homo vel regeneratissimus, quoad mortalis est, par esse nequeat: Nega-

[s] In Gen. ad literam, lib. 10. cap. 12.

tivum unum, *Non concupisces*; Affirmativum alterum, *Diliges Deum toto corde, tota mente, totis viribus*: regeneratum, ex conscientia imbecillitatis suæ in præstandis bonis operibus (nam de his tantum Apostolus arguit) in duplicem querelam erumpit, ex duplici odio profectam. Prima est, *Non perficiendi* id, quod piè velit. Altera est *Concupiscendi*, etiamsi maximè nolit. Tantum abest ut regeneratus velit consentire adblandiendo sibi in malis operibus, ut odio quasi sit sibi, quòd sic perficere non inveniat.

III Thesis.

Antiqui Patres imperfectionem bonorum operum pluribus sunt prosecuti.

SECT. XI.

Testimonia ea quæ proferentur astringemus ad opus bonum, ut habet admixtam in se aliquam pravitatem.

1. [h] Bernardus, *Dei prorsus nequeo*, inquit, *declinare judicium. Etsi justus fuero, non levabo caput; nam omnes justitiæ nostræ sunt tanquam pannus menstruatæ mulieris coram illo. Non est qui in ejus conspectu justificetur, non est usque ad unum.*

2. [i] Hilarius; *Corpus nostrum omnium*

h Serm. de verbis Origenis, apud August.
i Apud August. lib. 2. contra Julian. paulò ante medium.

vitiorum est materia, quâ polluti, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus. Et paulò antè, Ipsis Apostolis, inquit, verbo licèt jam fidei emundatis, atque sanctificatis, non desectamen malitiam docuit Christus, cùm dixit, SI CUM MALI ESTIS NOSTIS BONA DARE FILIIS VESTRIS, &c.

3. Augustinus, [k] Plenissima, inquit, charitas, dum hic vivitur, est in nemine: quamdiu augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio NON JUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS.

[k] Epist. 29. ad Hieron. post medium.

4. [l] Gregorius Magnus Pontifex; Ut sæpe diximus, Humana justitia injustitia est, si districtè judicetur.—Etsi ad opus virtutis excrevero, ad vitam, non ex meritis, sed ex venia convalesco. Ubi hoc intelligit dictum de uno eodémque opere, ut & alibi, [m] Quis enim aut de virtutis suæ conscientia non quantulumcunque superbiat? Item, [n] Sæpe, ut longè superiùs diximus, inquit, opus nostrum causa damnationis est, quod profectus putatur esse virtutis.

[l] In 9. Job, lib. 9. c. 24.

[m] In 9. Job, lib. 9. cap. 17.

[n] In 3. Job, lib. 5. cap. 4.

5. [o] Bernardus, Nostra, siqua est, humilis justitia, inquit, recta forsan, sed non pura, nisi fortè nos meliores esse credimus quàm Patres nostros, qui non minùs veraciter quàm humiliter dicebant, OMNES JUSTITIÆ NOSTRÆ TANQUAM PANNUS MENSTRUATÆ MULIERIS. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc

[o] De verbis Esaiæ Serm. 5. circa medium.

adhuc non potest culpa deesse? Hic nos de Scripturæ hujus sensu gemino non disputamus: tantùm in Patrum judicium, de imperfectione nostra inquirimus. Quanquam etiam [p] Salmeron Jesuita hanc rationem affert, cur non sit meritis nostris fidendum: *Etsi quis justus sit* (inquit) *& sanctus, tamen non est illi fidendum operibus; quia justitiæ nostræ incertæ sunt, quia non puræ, sed multis maculis admixtæ, quasi pannus menstruatæ mulieris.* Eandem interpretationem reddiderunt Pontificii alii.

[p] *Tom. 7. tract. 32. de Pharis. & Publ. num. 20.*

6. [q] Hieronymus, *Quòd si quidem*, inquit, *Justi in Scripturis appellantur, & non solùm Justi, sed Justi in conspectu Dei; juxta illam justitiam Justi appellantur, juxta quam suprà dictum, SEPTIES IN DIE PECCAT JUSTUS, ET RESURGET.* Et ab eo accepimus hunc aphorismum, [r] *Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos se noverint.*

[q] *Ad Rusticum, Epist. 43.*

[r] *Idem adversus Pelagian. ad Ctesiphont.*

7. [s] Chrysostomus, *Etiam tres pueri, cùm in ignem injecti, quid in fornace dicebant? Peccavimus, iniquitatem fecimus.* Hæc ille. Et rursus, in 1. Cor. 4. 4. in illa verba, *NIL MIHI CONSCIUS SUM, &c.* [t] *Quàm sæpe facile est gravibus criminibus implicari, quæ nobis aut levia aut nulla æstimentur! quia multa facimus bona, non tamen bono animo; multos laudamus, non eorum laudis gratiâ, sed ut alios mordeamus: & fit sæpenumero, ut quis bonum faciat, non ut congratuletur fratri; sed ut alium lædat:*

[s] *In epist. ad Philemon. hom. 2.*

[t] *Idem in eum locum Apostoli, hom. 11.*

ledat: deinde, & caſtigat interdum, non ut emendet, ſed ut vituperet. Hæc autem conſilia ab hominibus ignorantur.

8. [u] Auguſtinus, poſtquam Apoſtoli verba citâſſet, *Quin & nos*, inquit, *non dicimus nos perfectè ſanos eſſe; ſed tundimus pectus noſtrum, & dicimus Deo, Propitius eſto, nè peccem tibi.* Rurſus; [x] *Quemlibet valde juſtum diſcutias in hac vita; quamvis jam ſit dignus JUSTI vocabulo, tamen non eſt ſine peccato. Imò, etiam ipſe Job (cui Dominus tale teſtimonium perhibebat, ut Diabolus invideret) quid dicis? Quis enim mundus? nè infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Sed planè multi Juſti dicuntur ſine querela, quod intelligitur ſine crimine: nulla enim querela juſta eſt de his in rebus humanis qui non habent crimen.* [y] Auguſtinus denuo, in hoc argumento ſemper idem, *Boni*, inquit, *in quantum non peccant, filii Dei ſunt: in quantum autem peccant, (quod ſuâ non mendaci confeſſione teſtantur) utiq; mali ſunt.* Et alibi alteri occurrens objectioni; [z] *Virgines in Apocalypſi, Sancti, qui ſe non inquinaverunt cum mulieribus; & non eſt inventum in ore eorum mendacium, quia irreprehenſibiles erant: profectò ideo irreprehenſibiles erant, quia ſeipſos veraciter reprehenderunt: & ideo non eſt inventum in ore eorum mendacium, quia ſi dicerent ſe peccata non habere, ſeipſos deciperent.*

[u] *In verba Evang. Serm.* 2.

[x] *Idem in Joan. Tract.* 41.

[y] *In Epiſt.* 54. *ad Maced.*

[z] *Idem de peccator. meritis & remiſſ. lib.* 2, *cap.* 7.

[a] *In Luc.* 17.

9. Beda;

9. [a]Beda; *Hac est sola fidei perfectio, si, omnibus quæ præcepta sunt impletis, imperfectos se esse noverint, & quamdiu peregrinantur à Domino semper inesse sibi mala quæ defleant, semper meminerint sibi deesse bona, ad quæ, gratiâ ejus adjuvante, proficiant.*

Videmus in testimonio Hieronymi, eosdem sanctos *peccatores* simul & *justos*: in Chrysostomi, *pueros beatos*, at *peccantes*: Augustini, *justos*, at *non perfectè sanos*; ejusdem Augustini, *justos*, at *non sine peccato*; rursus denique, *irreprehensibiles*, & *reprehensibiles*: Bedæ, *perfectos* simul & *imperfectos* appellari. Cujus una hæc ratio esse potest, quia etsi *inest* in eis rebellionis peccatum, non est tamen *regnans*: sed regnum Satanæ eripiunt. Hæc Patrum testimonia quomodo cohæreant cum *Merito de condigno, ex æqualitate justitiæ apud Deum*, Adversarii nostri nunquam hactenus expedire potuerunt.

Est autem ubi Pontificii respondent, Patres ex ignorantia perfectionis suæ hujusmodi dicta ejaculari, per *humilitatem* scilicet. Quod responsum Patres ipsi falsitatis revincunt; qui aiunt, *Sanctos* (sic enim Augustinus) *hac non mendaci confessione testari*: *eosdémque* (sic enim Bernardus) *non minùs veraciter quàm humiliter locutos esse.* Nec enim vera potest esse humilitas, quæ cum mendacio, tanquam matrona cum meretrice, copulatur. Priusquam

quam hanc sectionem concludam, Pontificiis nostris proponam hypotyposin quandam de oratione: ut ex una hac religiosa actione perspiciant, quàm facile sit multoties in uno pio opere aberrare. Autor illis erit Jesuita [b] Ruiz: *Ex communi Patrum doctrina*, inquit, *præsertim Gregorii & Bernardi, bona qualibet opera, sive supererogationis, sive præcepta, ut plurimùm maculari à nobis venialibus culpis. Exemplum sit oratio, quam maculamus irreverentiâ, distractione cogitationum, somnolentiâ, inani gloriâ, tepiditate, defectu fiduciæ, vel nostri conatûs fiduciâ.* Hæc ille; quibus addere debuit hanc, (qua de agitur) nimirum eam ex hac opinione propriè *meritoria condignitatis* fœdissimè conspurcari.

[b] *In* 1. *Thom. quæst.* 23, & 24. *disp.* 48. *sect.* 5. § Respondeo, &c.

IIII Thesis.

Agnitio propriæ imperfectionis calcar esse potest ad studiosiorem progressum in vera pietate.

SECT. XII.

CErtè proverbiale illud quod Christus usurpabat Luc. 5. 31. *Sani non opus habent medico*, subinnuit eos, qui sibi *sani* videntur, quamvis forsan morbo lethali correpti fuerint, omne valetudinis suæ subsidium negligere. Dein, ubi apodosin hanc adjungit, *Non*

veni vocare justos, docet similem eorum esse vecordiam, qui, dum se perfectè justos Pharisaicè putant, * non aliunde auxilium petunt. Qui verò imperfectionis suæ sibi conscii sunt, eò instantiùs precibus contendunt apud Deum, vires sibi suppeditari, ut magìs magísque proficiant. Fit etiam interdum, ut qui percipiunt se in via cæspitare, aut impingere, cursum vehementiùs redintegrent, velociúsque accelerent.

* Suprà, cap. 17. §. 3.

Consulat, qui velit, historias omnes, quà Sacras, quáve Ecclesiasticas; audacter dicam, nullos reperiet in praxi pietatis perfectiores aut digniores extitisse, quàm qui imperfectiones, &, ut ità dicam, indignitatem suam confitebantur. Hinc profectò sunt istæ suspirationes Abrahæ, *Ego, qui sum terra & cinis*, Gen. 18. 27. & Jacobi, *Minor sum omnibus miserationibus tuis*, Gen. 32. 10. Mitto Jobum, Tres pueros, Danielem, & alios, viva & illustria sanctitatis sydera, quorum in Scripturis prolixior fit mentio.

Ad antiquos Patres redeamus, quorum superiora exempla documento nobis esse possint, quantum hæc de nostra infirmitate confessio ad pietatis incrementum conferat; juxta dictum illud Bedæ in sectione præcedenti, *Homines sentientes in se mala, ad meliora, Deo adjuvante, proficiunt.* Similiter Fulgentius, cap. 19. sect. 3. Denique, nisi agnitio

tio imperfectionis nostræ adminiculo nobis esset ad veram pietatem, nunquam sacrosancto Evangelio Christi dicta hæc consignata fuissent, *Cùm oratis, dicite, Dimitte nobis debita nostra.* Ubi Primò, Autor qui dixit erat *Christus*, qui est ipsa *veritas*. Secundò, *Cùm VOS oratis*, dixit, compellans Discipulos suos, in pietatis schola instructissimos. Tertiò, *Dimitte DEBITA.* Non igitur à delictis prorsus immunes. Quando verò & quoties orandum illis erat? *CUM*, inquit, *oratis*: ut significet eos, quoties orant, hac petitione ac supplicatione opus habere. Nec tamen bona opera dignitate suâ spoliamus.

De dignitate bonorum operum.

I Thesis.

Protestantes veriorem & illustriorem dignitatem bonorum operum profitentur, quàm Pontificii solent.

SECT. XIII.

Bona opera duplicem dignitatem sortiuntur: unam ex *principio operandi*, qui est *Spiritus sanctus*: alteram ex *statu operantis*, qui est *conditio adoptionis per Christum Jesum.* Priùs de *principio.* In omni verè Christiano homine duplex est homo: *internus*, & *externus*; id est, *carnalis*, & *spiritualis*. Exinde de-

cernimus duo agendi principia in uno eodémque opere bono. Primum est Spiritus Dei, ex quo opus bonum factum est Spiritu-ale, Supernaturale, Deóque gratum; unde vox illa Apostoli, *Bonum quod operor*. Alterum est Natura nostra claudicans; unde dissona altera illa vox, *Perficere non invenio*. Jam verò dignitatis, quam Pontificii bonis suis operibus tribuunt, partem sibi suóque libero arbitrio arrogant: cùm tamen Protestantes supernaturalis bonitatis dignitatem, quantam quantam, Divinæ operationi ascribunt. De quo suprà copiosiùs.

Respectus secundus est personæ operantis, quoad *statum adoptionis*, ex quo, qui bona exercet opera jus habet propriè *hæreditarium* tantùm ad vitam æternam: Sic Protestantes: (ex operibus autem suis æquè propriè jus *mercenarium* sibi vendicant Pontificii) non quòd negare debeamus aut velimus, posse Christianum bona opera facere cum intuitu mercedis vitæ æternæ, modò intelligat mercedem *Divinæ munificentiæ*, ac *liberalitatis*, non autem *suæ propriè condignitatis meritoriæ* & *æqualitatis*: quam antiqui Patres prorsus respuerunt, quia *vita æterna est supra condignitatem operis*: ut suprà, cap. 13.

Si omnes Protestantes, in unam Synodum collecti, excogitare vellent refutationem doctrinæ

ctrinæ Pontificiæ de mercede, respectu *hæreditatis*; accuratiorem & clariorem edere, opinor, non potuissent, quàm est ipsa [c] Lorini Jesuitæ sententia, digna, quæ omnium lectorum memoriis imprimatur: *Alia est ratio*, inquit, *cur beatitudini conveniat nomen HÆREDITATIS, quoniam ex gratia Dei maximè pendet, & nos in labores & merita Christi introimus*. Item, *Eadem hæreditas nostra Essentialis*, inquit, *nobis morte & merito Christi advenit, & vocamur Christi Cohæredes, pro nobis mortui, quatenus ipse pro nobis meruit, ut quam ille habebat NATURALEM, nos acquiramus ut HÆREDITARIAM, id est, ejus morte comparatam*. Hæc admodum consentanea sunt superioribus rationibus nostris à Patribus deductis. Nam si Essentialis beatitudo *hæreditas* dicatur, eò quòd *maximè ex gratia pendet*; tum sanè propriè *Merces* dici nequit, quæ operibus debetur. Deinde, si parta est hæreditas hæc pro nobis ex *Christi meritis*, certè *opera nostra*, quibus eam acquirimus, non sunt propriè *meritoria*. Postremò, si hæreditatem illam acquirimus tantùm ex *propriis* Christi meritis pro nobis; tum hoc non ex eo fit, quòd Christus nobis meruerit virtutem merendi vitam æternam: de quo copiosissimè suprà disseruimus.

[c] *in Acta Apost.* 20. 32.

II Thesis.

Qui** dignitate Filiationis hæreditariæ **nituntur, multò sunt veræ pietatis studiosiores, quàm qui à** Servorum meritoria virtute **dependent.

SECT. XIIII.

SErvilis & agrestis animi esse videri posset, quenquam de hac Thesi dubitare: idcirco in ejus confirmatione multi non erimus. Apostolus, Rom. 8.17. ut Christianos ad ἀκμὴν & culmen pietatis, quod est martyrium ipsum, provocaret atque perduceret, à jure hæreditario rationem mutuatur: *Si filii* (inquit) *tum hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Ex quo discamus, Martyrium pro Christo, *debitum* ei esse, non *meritorium*; quia (ut suprà Augustinus & Prosper) *Christus hanc hæreditatem, pro Dei filiis, morte suâ emerat prior.* Deinde Cyprianus; *Memini cum magna laude quorundam gloriosè operantium, qui tamen omne opus suum bonum Deo imputabant.* Ambrosius; *Deus ideo nos Filios vocat & Hæredes, ut promptiores nos faciat ad obediendum ei.* Nazianzenus vocem attollit altiùs, & cùm Servos dixerit esse μικροψύχους, *quibus præclarum videtur pœnam tantùm vitare,* & Mercenarios esse

esse μεγαλοψύχους, *quibus propositum est etiam ad mercedem aspirare*; Filios denique dicit esse ὑπὲρ τούτους, eo quòd *Patrem Deum reverentur, & bonis operibus student, etiamsi nihil sibi quæstûs sit indè rediturum.* Testimonia horum Patrum habentur integra, suprà, cap. 13. sect. 4.

III Thesis.

Veritatis superioris Typus in Israelitis.

SECT. XV.

ISraelitis, per multa secula antequam nati erant, Terra Canaan, expresso Dei pacto, destinata erat; ad quam tamen non sine itineris quadraginta annorum tædio, non sine gravissimis in eremo ærumnis, non sine acerrimis cum hoste pugnis, pervenerunt tandem. Non tamen per hæc media, (inquimus) ut per conditiones meritorias, hæreditatem illam consecuti sunt: nam, nè opinio hæc cujusquam animum occuparet, tacitâ quâdam exprobratione objurgatoriâ it obviàm illis Deus, Psal. 44. 3. *Non in brachio tuo comparâsti tibi terram hanc.* In hoc typo licebit nobis veram proprietatem hæreditariam contemplari; & necessitatem per opera acquirendi eam, etiam interdum non sine *sudore & sanguine*, absque tamen *condignitate merendi.*

De

De veræ pietatis profectu in particulari.

I Thesis.

Gratitudo erga Deum est mater omnis veræ pietatis; ex Scripturis, & Patribus.

SECT. XVI.

ADversarii nostri etiam atque etiam orandi sunt, ut nobiscum observent Spiritûs Sancti Dialecticam in adhortando & attrahendo homines ad omne genus virtutum, ex gratitudine nostra pro mera Dei misericordia. 1. Cor. 6. 20. *Empti estis pretio magno; glorificate igitur Deum in corpore & spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Ex Rom. 12. 1. *Obsecro vos per miserationes Dei, ut exhibeatis corpora vestra vivum holocaustum Deo, &c.* Ejusdem generis testimonia plurima innumeratis habemus; quibus pateat nullum esse aliud in Scripturis Argumentum frequentius, fortius, persuasibilius ad reducendos homines justificandos ab impietate, vel ad justificatos confirmandos atque consummandos in professione sanctitatis.

Nihil autem hîc negotii habemus (nè Adversarii hoc nesciant) cum præfractis hominibus, & in peccato obduratis, (sive Papistæ, sive Protestantes fuerint) qui, ut Apostolus ait,

ait, *Transferunt gratiam Dei in lasciviam*, Epist. Jud. vers. 4. De *apibus* enim, non de *araneis* hæc nostra disputatio instituitur.

Nunquid verò hîc judicium suum Patres silentio presserunt? Imò verò eandem planè veritatem ebuccinârunt. Viz. * Fulgentius, *Gratia agenda sunt Deo, in quantum donat nobis ut bene operemur, nè ejus muneribus simus ingrati: & danda est opera, ut ad meliora proficiamus, nè* (Audiant Adversarii) *in mortiferam incidamus superbiam, si conversationem nostram putemus omni ex parte esse perfectam.* Pariter * Basilius; *Perfecta & omnimoda gloriatio in Deo est, quando non propter suiipsius justitiam quis extollitur, sed solâ Christi justitiâ se justificari cognoscit.* Huic accedit Chrysostomus: *Memoria beneficiorum sufficiens est qua nos adhortetur ad amorem Dei, eundémque indies adaugeat.* De his largior est recitatio in superioribus sectionibus. Sed Augustinus dignissimus est qui colophonem apponat, qui in illa verba, Luc. 12. 48. *CUI MULTUM DATUM, MULTUM QUÆRETUR AB EO, Oportet ergò Domine*, inquit, *me tantò tibi magìs esse gratum, & devotum, ad serviendúmq; promptiorem existere; quantò me de cunctis beneficiis tuis obligatiorem conspicio.*

* Epist. 4. ad Prob. de orat. & compunct. cordis, cap. 7.

* Suprà, cap. 19. sect. 3.

II Thesis.

Protestantes eisdem Argumentis pugnârunt adversus Meritum de condigno, *tanquam gratitudinis & veræ pietatis hostem; quibus antiqui Patres ad pietatem promovendam sæpius usi sunt.*

SECT. XVII.

Meritum *de condigno*, quod consistit in *æqualitate justitiæ apud Deum*, sancti Patres, celeberrimi veritatis præcones, jam suprà accuratissimis suis suffragiis jugulârunt.

1. Ex eo, quòd omne opus bonum est *Deo debitum*: ex quo (quod ad pietatem spectat) inferebant, *Homines, non merita sua pensitantes, spontaneo famulatu semper novis studiis priora adaugeant.* (suprà, cap. 9.)

2. Telum etiam aliud contra condignitatem Meriti vibrârunt; Quia nempe *opus bonum* (sit licèt *mors martyris*) *nihil prodest Deo.* Ex quo tamen instigant homines tanquam ad honorificentissimum opus Martyrii subeundum; Quòd mortem eorum Christus, in eorum salutem, *prior emerat sanguine suo.* (suprà, cap. 25.)

3. Arguebant contra operis Meritum vitæ æternæ, tanquam de condigno, eò quòd *vita æterna est supra condignitatem ullius operis:* quâ

ratione

ratione incenderunt Christianorum animos ad omnes persecutionum flammas spirituali fortitudine extinguendas. (suprà, cap. 14.)

3. Imò, (ut ad matrem ipsam omni genere pietatis gravidam revertar) gratitudinis proprietates sancti Patres maximè in eo consistere senserunt, ut agnoscamus *nos non posse Deo grates dignas dare; sed, nullis exigentibus meritis nostris, nos Dei beneficia accipere.* (suprà, cap. 19).

5. Existimârunt denique ad hanc gratitudinem pertinere, ut statuamus apud nos, *Deum ex benignitate & dignatione opera nostra remunerari*, (suprà, cap. 10.) nec *esse Deum nobis propriè Debitorem*, (suprà, cap. 11.) & *homines tantò magìs Deo gratos, & devotos, ad serviendúmq; promptiores existere, quantò magìs se Deo de cunctis beneficiis obligatiores noverint.* Quibus singulis ipsam opinionem *Meriti de condigno* labefactârunt: etiã tum cùm alios ad pietatem erudiendos esse maximè judicabant.

Conclusio.

ELeganter admodum & scitè olim [a] Gregorius Magnus Pontifex de simili genere superbiæ spiritualis: *Eleazar* (inquit) *in prælio elephantem stravit, sed sub ipso quem extinxit occubuit. Sic qui vitia superantes, sub ipsis, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt.*

[a] *Lib.* 19. *in* Job. 29. *cap.* 17.

Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. Sic ille. Quæ autem detestabilior superbia esse potest, quàm quæ non modò *Gratiam de superandis vitiis* nimis sibi vendicat, verùm etiam *Gloriam vitæ æternæ ex æqualitate justitiæ exigit*, & *deberi* sibi ex *condignitate* statuit, pertinaciterque defendit?

Autori omnis operis boni, Soli Deo, * *à Quo, per Quem, & ad Quem sunt omnia, sit Gloria in secula.*

Amen.

* Rom. 11. 36.

FINIS.

